THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY
580.1
L96d
BIOLOGY
BIOLOGY
BIOLOGY

39336

Feb. 4, 1948
Jan. 12-1954
JUN 9 1972
SAFE

19812

Bulletin

Binding Dept.

Name

Address M. a. M.

Univ. of Ill. Lib. Call Slip

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG

MED. P.P. EXTRAORD. ET COLL. B.M.V.

h.t. PRAEPOSITI

DEFINITIONES GENERVM PLANTARVM

OLIM

IN VSVM AVDITORVM COLLECTAE

NVNC

AVCTAE ET EMENDATAE.

LIPSIAE,

APVD IOHANN. FRIDERIC. GLEDITSCHIVM

M DCC XLVII

HERBAR. REG. 493. Monacense

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

PRAEFATIO.

Decennium eſt, Lector beneuole, cum definitiones plantarum, ex optimis Botanices ſcriptoribus collectas, propriisque obſeruationibus paſſim confirmatas, in vſum Auditorum conſcriberem et ad methodum riuinianam diſpoſitas, proponerem. Opuſculum hoc, licet non ſatis limatum confectumque prodierit, tamen viris, in re herbaria exercitatis, non prorſus diſplicuit et Bo-

Botany
447993

tanices ſtudioſis potiſſimum vſui fuit. Mihi itaque in colendo hocce ſtudio in dies magis occupato incumbebat, vt in eo emendando et perficiendo, otii, quod exiguum mihi eſt, partem quandam conſumerem. Atque hic quidem labor vel propter ea a me denuo ſuſcipiendus erat, cum nonnulli celeberrimorum Botanicorum, hoc ipſo, quo nos viuimus, tempore, rem herbariam ſuis ſtudiis et obſeruationibus ita amplificauerint, vt plane aliam et nouam faciem ea recepiſſe videatur. Quoties igitur recentiorum methodicorum ad genera, vel accuratius definienda vel melius ordinanda inſtitutas obſeruationes cum ipſis plantis contuli, toties

ties ipſis naturae viis inſiſtens, quaedam inueni, quae in definitionibus meis vel emendari vel addi merebantur, ſicque factum eſt, vt nunc nouam prorſus, et a priori longe diverſam, definitionum generum plantarum editionem exhibeam.

Ad ordinem vero, quem in generibus plantarum proponendis ſeruaui, quod attinet, libenter quidem Riuini methodum, olim probatam, retinuiſſem, niſi in pluribus plantis difficile viſum fuiſſet, a petalis mox ad fructum progredi et reliquis fructificationis partibus omiſſis, characteres a parte, ſaepius latente et ignota, deſumere. Multo minus diſplicuit methodus Linnaei ſexualis; ſed cum petalorum

ſtructura adeo diuerſa et elegans, copioſos et certos ſaepius characteres exhibeat, illa in generibus ordinandis non omittenda, ſed primo loco collocanda eſſe cenſui. Praeterea quoque allegoricae denominationes, quae in methodo Linnaeana ſexus differentias, in animalium corporibus deprehenſas et cum vegetabilibus collatas, vltra limites extendunt, ita mihi comparatae videntur, vt in methodo facili aſſumi nequeant. Veſtigia methodi naturalis, in Halleri methodo, quam in deſcriptione ſtirpium Heluetiae propoſuit, ſequi nolui; perſuaſiſſimum enim mihi eſt, ſtudii botanici tirones artificiali methodo eſſe inſtruendos, cum naturalem non niſi ſummi et exercitatiſſimi

ſimi viri, ex crebra attentaque generum comparatione aſſequantur. Quae cum ita ſint, methodum, in inſtitutionibus regni vegetabilis propoſitam, et hic recepi, in qua, poſt petala, ſtamina et piſtilla examinantur, reliquae tandem fructificationis partes adduntur. Etſi autem a partium illarum numero differentias potiſſimum definiuerim; tamen cum non ſemper perpetuus, ideoque ſaepius fallax ſit, eundem non ſine limitatione accipiendum eſſe bene cognoui, quare etiam genera, per conſenſum ſtructurae partium naturalia viſa, hoc non obſtante, ſaepius conjunxi, quo peritiores intelligant, me non prorſus methodum naturalem neglexiſſe.

In definiendis vero inferioribus generibus tam variae dubitationes occurrunt, vt nemo Botanicorum limites certos figere queat. In definiendis igitur generibus in id potiſſimum allaboraui, vt ex copioſis obſeruationibus annexis facile intelligi queat, quaſnam generum diſpoſitiones et alii Botanici aſſumſerint. Breuior forte in his eſſe potuiſſem, cum non omnes, qui nouum nomen inueniunt, ſed ii tantum, qui ex genuinae methodi legibus genera definiunt attendi mereantur: attamen non ſine vſu fore arbitror, ſi in tali libello omnia genera ab auctoribus inuenta et denominata proponantur, cum iis perſpectis iudicare queamus, quaenam generum definitiones ex eſſentialibus, quaenam

nam ex accidentalibus characteribus formatae fuerint. Hac vero in re paſſim tantum ad illos auctores reſpexi, qui ante Bauhinos ſcripſerunt, quod iis temporibus nomina ex methodo vix definiebantur.

Nomina generica ea elegi, quae ex legibus, in inſtitutionibus regni vegetabilis ſtabilitis, optima eſſe cognoui, interim tamen paſſim quaedam quoque nomina, mihi non adeo probata, recepi, quod noua nomina fingere nolebam, ne in dies eorum numerus augeretur. Cum etiam ſynonyma omnia appoſita ſint, quilibet, cui forte aſſumtum nomen diſplicet, alιud eligere et meam, hac in re commiſſam negligentiam excuſare poterit.

In deſcriptionibus generum ipſis characteres euidentes et conſtantes ſemper quaeſiui, nec multos, quibus diſcentes confunduntur, appoſui, vbi paucis verbis genera inter ſe diſtingui poterant. Non tantum vero eſſentiales, ex flore et fructu petitos, ex quibus ſolis genera definienda ſunt, ſed et accidentales aſſumſi, in plurimis enim, in primis officinalium plantarum generibus, diſcentes eiuſmodi characteres viuidos facilius ſibi imprimunt.

In gratiam vero Commilitonum honoratiſſimorum, aliorumque, qui his generum plantarum definitionibus, ad cognoſcendas plantas vti cupiunt, moneo, vt perluſtratis defini-

finitionibus partium plantae, quae in inſtitutionibus regni vegetabilis proponuntur, primum plantas vulgares, vbique occurrentes et cognitas, ad ductum harum definitionum examinent et characteres plantarum indicatos in plantis ipſis quaerant, atque ita in plantarum conſideratione fiant exercitatiores. Poſtquam vero hac methodo paululum profecerunt, plantas etiam haud vulgares ſeligant, ad characteres, in primis flori inſcriptos, attendant et ita periculum faciant, an nomen ex definitione inuenire queant. Hic labor in multis claſſibus facilis erit, in aliis e. g. compoſitis et vmbellis paulo difficilior, hinc in examine facilius diſquirendas aliis difficilius diſtinguendis

guendis praeferant. Quicunque enim in re botanica proficere cupit, ille per cognitionem artificialis methodi exercitatus, copiam plantarum, non quoad nuda nomina, ſed ex characteribus ipſis cognoſcat, et ad lectionem attentam ſcriptorum animum praeparet, qua tandem ad veram cognitionem omnium plantarum ducitur.

Cum vero omni ſtudio in eruendis characteribus certis et limitibus generum definiendis hactenus occupatus fuerim; etiam in poſterum id ſedulo agam, vt rem herbariam captui diſcentium magis magisque accommodem. Exigit hoc inſignis beneuolentia beati WALTHERI, Patroni

troni et Praeceptoris deſideratiſſimi, qui non tantum, dum viueret, me ad haec ſtudia, diligentius tractanda, et monitis et proprio illuſtri exemplo excitauit, ſed et poſt obitum, quem omnes boni lugent, et hortum, et libros, et alia quae ad ſtudii huius culturam requiruntur, teſtamento legauit. Quod beneficium, vti ſemper memori ſeruabo pectore, ita et in eum finem conuertam, vt eandem operam, quam in excolendo hocce ſtudio omnes in Illuſtri WALTHERO admirati ſunt, ſi non praeſtare poſſim, tamen imitari velle videar. Dabam Lipſiae Menſe Aprili 1747.

Diſpo-

DISPOSITIO METHODI

Flores ſunt	Plantae ſunt
I. Inuoluti.	
A. Perfecti.	
I. Petaloidei.	
1. monopetali.	
α. ſimplices.	
a. regulares.	1. monopetalae regulares.
b. irregulares.	2. monopetalae irregulares.
β. compoſiti.	
a. tubuloſi.	3. compoſitae tubuloſae.
b. lingulati.	4. compoſitae lingulatae.
c. mixti.	5. compoſitae mixtae.
2. dipetali.	6. dipetalae.
3. tripetali.	7. tripetalae.
4. tetrapetali.	
α. regulares.	8. tetrapetalae regulares.
β. irregulares.	9. tetrapetalae irregulares.
5. pentapetali.	
α. regulares.	10. pentapetalae regulares.
β. irregulares.	11. pentapetalae irregulares.
γ. vmbellati.	12. pentapetalae vmbellatae.
6. hexapetali.	13. hexapetalae.
7. polypetali.	14. polypetalae.
II. Apetali.	15. apetalae.
B. Relatiui.	
1. monophyti	16. relatiuae monophytae.
2. diphyti	17. relatiuae diphytae.
II. Nudi.	18. nudae.

Com-

Compendia citatorum Auctorum.

Amm. Ammannus.
Boerh. Boerhaauius.
Burm. Burmannus.
Buxb. Buxbaumius.
C. B. Caſpar Bauhinus.
Cord. Cordus.
Dill. Dillenius.
Dod. Dodonaeus.
Fevill. Fevillaeus.
Garc. Garcinus.
Hall. Hallerus.
Heb. Hebenſtreitius.
Heiſt. Heiſterus.
Herm. Hermannus.
H. Amſt. Hortus Amſtelodamenſis.
H. Boſ. Hortus Boſianus.
H. Elth. Hortus Elthamenſis.
H. Eyſt. Hortus Eystettenſis.
H. L. B. Hortus Lugduno Batauus.
H. Mal. Hortus Malabaricus.
Houſt. Houſtonus.
I. B. Iohannes Bauhinus
Imp. Imperatus.
Iohr. Iohrenius.
Iſn. Iſnardus.
Iusſ. Iuſſieus.
Kaempf. Kaempferus.
Knaut. Knautius.
Kram. Kramerus.
Linn. Linnaeus.
Lob. Lobelius.
Mag. Magnolius.

Malp.

Compendia citatorum Auctorum.

Malp. Malpighius.
March. Marchantius.
Marſ. Marſilius.
Mich. Michelius.
Niſſ. Niſſolius.
Off. Officinarum.
P. Alp. Proſper Alpinus
Petit. Petitus.
Petiv. Petiuerius.
Piſ. Piſo.
Pluck. Pluckenetius.
Plum. Plumierus.
Pont. Pontedera.
Raj. Rajus.
Riv. Rivinus.
Roy. Royenus.
Rudb. Rudbeckius.
Rupp. Ruppius
Shaw Shawius.
Scheuchz. Scheuchzerus.
Sieg. Sigeſbeckius.
Sloan. Sloanus.
Tab. Tabernaemontanus.
Tourn. Tournefortius.
Trag. Tragus.
Trew. Trewius.
Vaill. Vaillantius.

CLASSIS I.

Plantae flore perfecto, ſimplici, regulari, monopetalo.

I. DIANTHERAE

MONOSTYLAE.

1. LILAC. *Tourn.* Syringa. *Rupp.* et *Linn.*

Flores racematim diſpoſiti; calix breuis, tubuloſus, quadridentatus; corolla infundibuliformis, limbo quadrifido; capſula oblonga, compreſſa, acuminata, bilocularis, ſemina marginata, compreſſa continet.

2. OLEA. *Tourn.*

Folia oblonga, ſemper virentia; calix minor, tubuloſus, quadridentatus, deciduus; corolla breui tubo, limbo quadrifido, donata; fructus oblongus vel ſubrotundus ſub pulpa pingui nucleum durum continet, ſemine vnico foetum.

3. PHILLYREA. *Tourn.*

Folia coniugata, ſemper virentia; calix minimus, quadridentatus, perſiſtens; corolla cam-

pmiſormis, quadrifida; bacca globoſa, monopyrena; ſemen rotundum.

4. JASMINVM. *Tourn.* GELSEMINVM. *I. B.*

Folia in plerisque pinnata; calix monophyllus, brevior, tubuloſus, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido; fructus pulpoſus, bilocularis, ſemina bina continet.

NYCTANTHES. Linn. calicis et corollae limbo octofido a praecedenti differt.

5. LIGVSTRVM. *Tourn.*

Folia coniugata, caduca, flores racematim diſpoſiti; calix monophyllus, exiguus, quadridentatus; corolla infundibuliformis, quadrifida; ſtigma bifidum; fructus pulpoſus: ſemina quaterna, anguloſa.

II. TRIANTHERAE *MONOSTYLAE.*

6. BOERHAAVIA. *Vaill. et Linn.* ANTANISOPHYLLUM. *Vaill.*

Calix ouarium cingens, minimus; corolla campanulata, erecta, quinquifida; fructus eſt capſula turbinata, vnilocularis, ſemen vnicum continens.

7. CROCVS. *Tourn.*

Radix bulboſa, ſolida, maior effoeta minorem ſuſtinet fertilem; folia graminea, anguſta, linea media alba notata; ſpathae duae alternae florem ex terra prorumpentem cingunt; corolla

la tenui tubo e radice ſurgens, in ſex lacinias profundas, oblongas, erectas, concauas, diuiditur; antherae ſagittatae; ouarium in fine tubi floralis; tubae tres, ſtigmata conuoluta, ſerrata, *in officinali ſpecie longiora;* fructus eſt capſula ſubrotunda, trigona, trilocularis, ſemina plura, rotunda continens.

BVLBOCODIVM. Tourn. quod ouarium in medio flore ſuſtinet et radice cum Colchico conuenit, Linnaeus ad Crocos refert, ſed et aliud BVLBOCODIVM, *nonnihil a Colchico diuerſum, deſcribit.*

8. IRIS. *Tourn.*

Radix vt plurimum tuberoſa; ſpathae imbricatae, alternae; corolla tubum breuiſſimum, in ſex lacinias diuiſum, habet, laciniae tres interiores, tres exteriores, figura, flexu et magnitudine diſſerunt; ſtamina vt plurimum laciniis exterioribus incumbunt; ouarium infra florem poſitum, ſtylum emittit in tres partes, petala mentientes, diuiſum, *hinc Raio enneapetala dicitur planta;* fructus oblongo trigonus, membranaceus, trilocularis, ſemina nunc ſubrotunda, nunc plana continens.

Sequentia genera commode ad Irides refert Linnaeus:

HERMODACTYLVS. *Tourn. radice tuberoſa, ex oppoſitis tuberculis compoſita, veluti digitata, gaudet.*

XIPHION. *Tourn.* IRIASTRVM. *Heiſt. radicem bulboſam habet.*

SISYRINCHIVM. *Tourn. radice Croco ſimili diſtinguitur.*

CHAMAEIRIS. *C. B. ſpecies humiles et minores complectitur.*

XYRIS. *C. B.* SPATVLA FOETIDA. *Trag. ſemina pulpoſa in capſula membranacea continet.*

9. MELOTHRIA. *Linn.*

Calix campanulatus, ouario inſidens, caducus; corolla rotata, quinquepartita, calici adnata: ſtigmata tria; fructus eſt oblongus, pulpoſus, ſemina compreſſa continens.

Ad Bryoniam retulit. Tourn.

III. TETRANTHERAE.

A. MONOSTYLAE.

Sequentes plantae a nonnullis ſtellatae dicuntur, ob folia ſtellatim, ex quouis caulis nodo, prouenientia.

Stamina ex interſtitiis ſegmentorum corollae oriunda; ſtylus ſuperius bifidus.

Ouarium ſub flore eſt et calice vix conſpicuo, quadridentato coronatur.

Rubia quoque huc referri poſſet, ſed ob fructum pulpoſum paulo inferius collocanda.

10. APARINE. *C. B.* et *Tourn.*

Radix annua: folia ad caulium nodos numero incerta, ſicut caules aſpera: corolla quadridentata, plana: fructus ſiccus, ex gemellis globulis conſtans; in quolibet globulo, ſub cortice tenui, latet ſemen vmbilicatum.

11. GALLIVM. *Tourn.* GALIVM. *Linn.*

Folia ad caulium nodos quaterna, plura; corolla campaniformis, ſiue plana, leuiter concaua; ſemina vel oblonga, vel lunata.

CRVCIATA. *folia quaterna et flores ad alas foliorum habet, hinc ad Gallium referri poſſet.*

MOLLVGO. *C. B. et Boerh. quae folia nec aſpera, nec villoſa habet.*

GALLIOIDES. *Knaut. quae corolla eſt triſida et* CRVCIATAE SPICATAE. *Boerh. nec non.* MATRISYLVA. *Trag. vt Cruciata ad Gallium reducantur.*

12. RVBEOLA. *Tourn.* CRVCIANELLA. *Linn.*

Folia quaterna vel plura; calix triphyllus; corolla infundibuliformis, vel longior; modus florendi et ſemina, vt in Gallio.

HOVSTONIA. Linn. calice quadridentato conſpicua, ad Rubeolam accedit.

13. ASPERVLA.

Folia quaterna, vel plura; flores in faſtigio caulium, in formam vmbellae, diſpoſiti, quae foliolis floralibus cingitur; corolla cylindracea; ſemina plerumque globoſa.

SHERARDIA. Dill. et *Linn.* DILLENIA. *Heiſt. ſeminibus binis coalitis, ſingulis calice tridentato coronatis, a praecedenti differre videtur. Dillenius in H. Elth. ad Spermacocen refert.*

14. SPERMACOCE. *Dill.*

Folia coniugata, flores ad foliorum alas verticillatim poſiti, non raro in ſummitate in capitula colliguntur; corolla cylindracea; ſemina aculeata.

15. VALANTIA. *Tourn.*

Folia verticillata; ouaria ex alis foliorum; calix exiguus, quadridentatus, ouario impoſitus; corolla monopetala, quadrifida; ſtamina quatuor; ſtylus profunde bifidus; ſtigmata globoſa;

 fructus

ſructus coriaceus, ſemen rotundum continet; ouario adhaerent alia bina ouaria, quaſi abortiua, quibus flores ſtaminei ſimiles, ſaepe trifidi inſident.

16. AVICENNIA. *Linn.*

Calix quinquifidus, perſiſtens; corolla plana, quadrifida; fructus vnilocularis, ouatus, coriaceus, ſtylo perſiſtente acuminatus; ſemen compreſſum, vnicum.

17. CAPRARIA. *Feuill. et Linn.* SAMOLOIDES. *Boerh.*

Folia oppoſita; calix inferne conicus, ſuperius in quatuor gracilia et ſcabra ſegmenta diuiſus; corolla caua, quadrifida; fructus oblongus, biualuis; ſemina oblonga.

AGERATVM. *Tourn. huc retulit Linn. quod tamen Erini nomine alibi expoſuit.*

18. CENTVNCVLVS. *Linn.* ANAGALLIDASTRVM. *Vaill.*

Folia alterna; calix quadripartitus, patens, corolla maior; corolla rotata, quadripartita; ſtylus perſiſtens; capſula globoſa, vnilocularis, horizontaliter dehiſcens; ſemina exigua.

19. SANGVISORBA. *Rupp. et Linn.* PIMPINELLA. *Tourn. et Hall.*

Flores in ſpicam denſam coacti; calix bifolius, ouarium quadrangulum continet; corolla plana, ouario inſidens, profundius diuiſa, ferme tetrapetala; fructus bilocularis; ſemina oblonga.

POTERIVM. Linn. et ſtamina plura, et flores nonnullos ouario abortiuo praeditos, oſtendit, ob

ſum-

ſummam tamen habitus conuenientiam ad hoc genus referatur.

20. BVCHNERA. *Linn.*

Folia oppoſita; flores ſeſſiles in alis foliorum; calix tubuloſus, quinquedentatus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubo longiſſimo, tenui, arcuato, limbo breui, quinquifido; ſtamina bina breuiora, bina longiora; fructus eſt capſula oblonga, acuminata, bilocularis, apice dehiſcens; ſemina anguloſa.

21. BVDDLEIA. *Houſt.* et *Linn.*

Calix minimus, quadridentatus, perſiſtens: corolla ſemiquadrifida, ampla; ſtamina laciniis corollae inſerta; capſula oblonga, bilocularis: ſemina exigua.

22. PLANTAGO. *Tourn.*

Caules aphylli; folia neruoſa; flores in ſpicis denſis politi; calix monophyllus, profunde quadrifidus; corolla infundibuliformis, limbo quadripartito, ſtellato; ſtamina longa; capſula ouata, nonnihil acuminata, bilocularis, horizontaliter dehiſcens; ſemina exigua.

PSYLLIVM. *Tourn. caulibus folioſis et ramoſis, nec non* CORONOPVS. *Tourn. foliis longis, pinnatifidis tantum a Plantagine differunt, ergo optime a Linnaeo ad eandem referuntur.*

Raius et Ruppius ad tetrapetalas referunt, quia fructus creſcens petala taleſcentia in quatuor partes diuellit, ſed florendi tempore flos infundibuliformis apparet, et fructus creſcens petalum cylindraceo-globoſum efficit.

23. LINNAEA. *Linn.* SERPILLIFOLIA. *Buxb.* OBOLARIA. *Sieg.*

Foliola quatuor fructum calicis inſtar ſuccingunt; calix quinquifidus ouarium in ſe recipit; corolla ſemiquinquifida; fructus eſt capſula bilocularis; ſemina ſubrotunda.

24. IXORA. *Linn.*

Calix minimus, quadridentatus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubo tenui, longo, limbo quadripartito; ſtamina laciniis corollae inſerta; fructus eſt bacca vnilocularis; ſemina quatuor.

25. RVBIA. *Tourn.*

Folia verticillata ſiue ſtellata; calix ouarium continens, quadridentatus; corolla campaniformis, patens, quadrifida, vel quinquifida; fructus eſt bacca duplex, quarum ſingula ſemen vt plurimum vmbilicatum continet.

B. DISTYLAE.

26. CVSCVTA. *Tourn.*

Caules volubiles, aphylli; flores multi, in capitula collecti; calix paruus, ſucculentus, quadragonus, quadrifidus; corolla campaniformis, ſuperius quadrifida; fructus eſt capſula bilocularis, ſubrotunda, in quolibet loculo ſemina bina.

Partes floris nonnunquam numerum quinarium exhibent; fructus aliis dicitur vnilocularis. Raius ſemina quaterna nuda habet.

27. BASELLA. *H. Mal.*

Folia orbiculata, ſucculenta; habitus ſcandens; flores in alis foliorum congeſti; calix ſucculen-

culentus, quinquedentatus; corolla parua, campaniformis, quinquifida; ſtamina et piſtilla interdum in diuerſis floribus; fructus pulpoſus, vnicum ſemen continet.

Cum Cuſcuta coniunxit Linn.

C. TETRASTYLA.

28. AQVIFOLIVM. *Tourn.* AGRIFOLIVM. *Rai.* ILEX. *Linn.*

Folia oblonga, acutis ſpinis armata, ſemper virentia; calix paruus, quadridentatus; corolla plana, quadrifida; fructus ſubrotundus, baccatus; ſemina quatuor, triquetra.

IV. PENTANTHERAE.

A. MONOSTYLAE.

29. IALAPA. *Tourn.* MIRABILIS. *Riv.* et *Linn.* NYCTAGE. *Roy.*

Radix carnoſa; folia coniugata; calix monophyllus, profunde quinquifidus; corolla infundibuliformis, tubo tenui ſenſim in limbum plicatum extenſa; ſtigma globoſum; ſemen coronatum, ſub duro tegmine nucleum farinaceum continet.

30. PLVMBAGO. *Tourn.*

Calix tubiformis, monophyllus, quinquedentatus, hiſpidus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido; ſtylus ſtigmate quinquifido conſpicuus; ſemen vnicum, oblongum.

Quae ſequuntur plantae tetraſpermae a nonnullis aſperifoliae dicuntur, licet tantum in plurimis, non vero in omnibus, folia aſpera inueniantur.

Stamina quinque petali tubo interius adhaerent; ſtyli ſimplices.

Semina quatuor, thalamo fungoſo, in fundo calicis ſito, adhaerent et integumenta vix deponunt.

Echium, niſi flos vere irregularis eſſet, optime huc referri poſſet.

31. BORRAGO. *Tourn.*

Radix annua; folia latiora; calix monophyllus, expanſus, laciniis anguſtis, profundis; corolla rotata, profunde quinquefida, ſegmentis cuſpidatis; eminentiae ſquamoſae, ad baſin laciniarum ortae, ſtamina tegunt, ſemina rugoſa, viperino capiti ſimilia.

BORRAGINOIDES. Boerh. CYNOGLOSSOIDES. *Iſn.* BORRAGINELLA. *Sieg. calice pentagono, inferius in quinque alas acutas deſinente, tubo corollae longiore et ſeminibus a parte placentae crenatis, a Borragine differt.*

32. BVGLOSSVM. *Tourn.* ANCHVSA. *Linn.*

Calix erectus, ſegmentis profundis, anguſtis; corolla infundibuliformis, tubo longo, ſegmentis limbi orbicularibus, orificio tubi quinque ſquamulis clauſo; ſemina obtuſa, oblonga.

ANCHVSA. *Rai. eſt ſpecies Bugloſſi radice rubra.*

LYCOPSIS. Linn. omnes complectitur ſpecies, quae tubo inflexo inſtructae ſunt, quae ideo, cum corollam quodammodo irregularem obtineant, ECHIOIDES *Riv. et Tourn. et* BVGLOSSOIDES *appellantur.*

33. CYNOGLOSSVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, in quinque lacinias profundas diſſectus; corolla infundibuliformis, ſegmentis

mentis orbicularibus, *in officinali ſpecie erectis, in aliis magis expanſis*; ſquamae in medio tubo, a quarum latere ſtamina ſurgunt; ſemina plana, integumentis aſperis ſiue lappaceis tecta.

LAPPVLA. *Riv.* CYNOGLOSSOSPERMVM. *Sieg. quod Linn. ad Lithoſpermum retulit, forte huc referri poſſet.*

OMPHALODES *a Linn. qui ſemina lappacea non attendit, ad Cynogloſſum refertur.*

CYNOGLOSSOIDES. *Sieg. huc referatur.*

34. CERINTHE. *Tourn.*

Folia plerumque glauca, verrucoſa; flores penduli: calix monophyllus, quinquifidus, laciniis inaequalibus, profundis: corolla cylindracea, quinquedentata, denticulis vel conniuentibus vel apertis; fructus conſtat teſtis duabus, ſingula in bina loculamenta diuiſa; ſemina quatuor, oblonga.

CERINTHOIDES. *Boerh. huc referri poterit, licet quatuor diſtincta ſemina appareant.*

35. SYMPHYTVM. *Tourn.* CONSOLIDA. *Rupp.*

Folia maiora, cuſpidata, decurrentia; calix minor, profundius quinquifidus, ſegmentis acutis; corolla cylindracea, tubo ventricoſo, limbo quinquifido, appendiculis quinque in tubo accretis; ſemina gibba, acuminata, polita.

36. LITHOSPERMVM. *Tourn.*

Calix profundius quinquifidus, ſegmentis acutis, carinatis; corolla infundibuliformis, limbo paruo, quinquifido; ſemina quatuor, ſubrotunda, polita, durisſima.

37. PVL-

37. PVLMONARIA. *Tourn.*

Calix monophyllus, tubuloſus, pentagonus, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, ex tubo in limbum concauum expanſa, laciniis rotundis, erectis; ſemina ſubrotunda, ſplendentia.

38. OMPHALODES. *Tourn.* OMPHALIA. *Sieg.*

Calix profunde quinquifidus; corolla rotata, tubo breuiore, laciniis rotundis, ſquamae quinque ad orificium tubi; capſulae quatuor, cauae, vmbilicatae, ſemina plana continent.

Hanc ad Cynogloſſum retulit Linnaeus.

OMPHALOSPERMVM Sieg. *huc refer.*

39. HELIOTROPIVM. *Boerh.*

Flores in ſpicas longas, in extremitate in formam caudae ſcorpii reflexas, diſpoſiti; calix tubuloſus, quinquifidus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, ſquamulae quinque vt plurimum in orificio tubi poſitae; ſemina quatuor, ouata, acuminata.

MYOSOTIS. *Dill. et Linn.* SCORPIVRVS. *Knaut. huc referatur.*

40. ASPERVGO. *Tourn.*

Habitus aſper; folia in vnum latus reclinata; calix monophyllus, quinquifidus, forma bifolii, poſt excuſſam corollam, conniuens; corolla infundibuliformis, limbo paruo, ſquamulis quinque in orificio tubi ſitis; ſemina quatuor, oblonga, compreſſa.

41. ANAGALLIS. *Tourn.*

Folia oppoſita, calix quinquifidus, ſegmentis profun-

profundis, anguſtis; corolla rotata, quinquifida; capſula globoſa, vnilocularis, horizontaliter dehiſcens; ſemina plura, anguloſa.

42. LYSIMACHIA. *Tourn.*

Folia oblonga, bina, terna, quaterna, ex nodis caulium; calix quinquifidus, ſegmentis anguſtis; corolla rotata, quinquifida; ſtamina filamentis in baſi cohaerent; capſula rotunda, in apice dehiſcens, vnilocularis, ſemina plurima, ſubrotunda.

NVMMVLARIA. *C. B. planta repens, huc referatur.*

43. SAMOLVS. *Tourn.*

Folia alterna; calix profunde quinquifidus, ſegmentis anguſtis; corolla rotata, tubo breui, limbo quinquifido inſtructa; fructus eſt capſula vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina plurima, exigua.

44. ANDROSACE. *Tourn.*

Flores vt plurimum in vmbella, quae foliolis calicem communem referentibus ſuccingitur; calix monophyllus, quinquelobatus; corolla tubo ventricoſo, limbo plano, quinquifido, inſtructa; fructus globoſus, vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina ſubrotunda.

ARETIA. Hall. calice non ſerrato, tubo corollae cylindraceo, glandulis binis ad quodlibet ſegmentum corollae appoſitis, a praecedente differt.

45. HOTTONIA. *Boerh.* MYRIOPHYLLVM. *Riv.* STRATIOTES. *Vaill.* ARACHNIVM. *Sieg.*

Planta aquatica: radix oblonga, fibroſa; caulis

lis erectus, nudus; flores in ſpica verticillata; folia capillaria, pinnata, cauli in orbem appoſita; calix monophyllus, gracilibus ſegmentis, inſtar ſtellae expanſis, inſtructus; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, plano, ſegmentis profundis: capſula ſphaerica, vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina ſphaerica.

46. GLAVX. *Tourn.* GLAVCOIDES. *Rupp.*

Radix perennis; folia coniugata, craſſiuſcula; flores in alis foliorum; calix nullus, corolla campaniformis, quinquifida; capſula globoſa, vnilocularis, quinqueualuis, ſemina quinque ſubrotunda.

47. CORTVSA. *Boerh.*

Radix perennis; calix paruus, quinquifidus; corolla rotata, tubo breuiſſimo, limbo amplo, quinquifido; fructus ſubrotundus, acuminatus, vnilocularis, biualuis; ſemina parua, numeroſa.

48. CYCLAMEN. *Tourn.*

Radix orbiculata, tuberoſa; folia carnoſa: cauliculi aphylli ex ipſo tubere proueniunt et florem ſolitarium gerunt; calix monophyllus, ſemiquinquifidus; corolla tubuloſa, in quinque amplas, longas et retroflexas lacinias, diſſecta; capſula globoſa, vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina ſubrotunda et anguloſa.

49. HYDROPHYLLVM. *Tourn.*

Radix parte ſuperiori Dentariae ſimilis: calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis gracilibus, profundis, hiſpidis; corolla campaniformis, ſemiquinquifida, laciniis erectis, nectarium

rium duae lamellae, ex interſtitio laciniae ad fundum extenſae, conniuentes, liquore intus madidae; capſula globoſa, vnilocularis, biualuis; ſemina incertae figurae, ſaepius vnicum, rotundum.

50. PRIMVLA. *Linn.*

Radix perennis; Flores in vmbella, vniuerſali inuolucro polyphyllo ſuccincta, diſpoſiti, interdum ſingulares; calix quinquifidus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, non nihil erecto; *numerus laciniarum et ſtaminum in cultis non raro auctus*; fructus eſt capſula vnilocularis; ſemina numeroſa, parua.

AVRICVLA VRSI. Tourn. Folia laeuia, pinguia, vt plurimum farina conſperſa; calix breuis, quinquifidus; capſula globoſa.

PRIMVLA VERIS. Tourn. folia oblonga, rugoſa; calix monophyllus, tubuloſus, pentagonus, quinquedentatus; capſula oblonga.

51. MENIANTHES. *Tourn.* MENOANTHES. *Hall.* FIBERINVM. *Sieg.* TRIFOLIVM FIBRINVM. *Off.*

Radix perennis, repens; folia ternata, foliola fabaceis ſimilia; calix monophyllus, paruus, quinquifidus; corolla infundibuliformis, profunde quinquifida, laciniis retroflexis, filamentis cuſpis interius obſitis; capſula oblonga, vnilocularis, bifariam dehiſcens; ſemina ſubrotunda.

NYMPHOIDES. *Tourn. a Linn. huc refertur. cum in eſſentialibus non niſi leuisſima differentia inueniatur.*

52. SOL-

52. SOLDANELLA. *Tourn.*

Radix perennis; folia rotunda, minora, rigida; calix paruus, quinquifidus; corolla campanulata, fimbriata; fructus cylindraceus, vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina parua, numeroſa.

53. THEOPHRASTA. *Linn.*
ERESIA. *Plum.*

Calix ſemiquinquifidus, paruus, perſiſtens; corolla campanulata, ſemiquinquifida, laciniis obtuſis; fructus eſt capſula globoſa, vnilocularis; ſemina plurima, ſubrotunda.

54. CHOMELIA. *Linn.*

Calix ouarium inuoluens, ſemiquinquifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, ſegmentis oblongis, reflexis; fructus eſt capſula vnilocularis, calice coronata; ſemina quatuor.

55. ITEA. *Linn.*

Calix monophyllus, minimus, quinquifidus, perſiſtens; corolla roſacea, petalis longis, acutis; fructus eſt capſula vnilocularis, triualuis; ſemina exigua, plurima.

56. PERVINCA. *Tourn.* VINCA. *Riv. et Linn.*

Planta non lacteſcens, ſarmentis longis repens; calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis gracilioribus; corolla infundibuliformis, ampla, in quinque lacinias profundas ſecta; ouaria bina, ſtylus ſimplex, vtrisque adhaerens; fructus folliculi bini, membranacei; ſemina oblonga, non papposa.

57. STRA-

57. STRAMONIVM. *Tourn.* DATVRA. *H. Eyſt. et Linn.*

Radix annua; calix monophyllus, tubuloſus, pentagonus, quinquedentatus, in maturitate prope baſin ab orbiculari fundo ſecedens; corolla infundibuliformis, tubo longo, limbo patente, quinqueplicato et quinquedentato; ſtigma bilamellatum; fructus vt plurimum ſpinoſus, eſt capſula quadriualuis, bilocularis, quolibet loculo ſupra medium ſepto diſtincto, hinc quadrilocularis apparet; ſemina reniformia.

58. NICOTIANA. *Tourn.*

Radix annua; folia vnguinoſa; calix monophyllus, ſemiquinquifidus; corolla infundibuliformis, limbo quinquedentato et quinqueplicato; fructus oblongus, acuminatus, bilocularis; ſemina exigua receptaculo pulpoſo, vtrinque ſepto adnato, adhaerent.

PETVM. *Riu.* PRIAPEIA. *Knaut. tubo corollae ampliore, breuiore, limbo paruo, nec non fructu ſubrotundo a praecedente differt.*

59. SPIGELIA. *Linn.* ARAPABACA. *Plum.*

Calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubus inferius anguſtus, limbus quinquifidus, ſegmentis acutis; fructus ex binis capſulis globoſis conſtat; ſemina multa.

60. RONDELETIA. *Plum. et Linn.*

Calix ouarium cingens, monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, laciniis ſubrotundis; fructus eſt

 capſula

capſula ſubrotunda, bilocularis, coronata; ſemina exigua.

61. CHIRONIA. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens, ſegmentis acutis; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, laciniis ouatis; ſtamina ex orificio tubi; ſtylus declinatus, capitatus; fructus eſt capſula bilocularis; ſemina exigua.

In quibusdam ſpeciebus Linnaeus aſſumit fructum pulpoſum.

62. ROELLA. *Linn.*

Calix ouarium cingens, quinquifidus, ſegmentis magnis, dentatis; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, ſquamae quinque ad orificium tubi, vbi ſtamina adhaerent; ſtigmata bina; fructus eſt capſula bilocularis, cylindracea, calice coronata; ſemina plurima.

63. CAMPANVLA. *Tourn.*

Calix quinquifidus, ouarium in ſe recipit; corolla campaniformis, quinquifida in margine, fundo non perforata; baſis filamentorum ſtaminum amplior, inflexa; ſtigma tripartitum; fructus anguloſus, plerumque trilocularis, quolibet loculo parte inferna per maturitatem aperto; ſemina parua, copioſa.

SPECVLVM VENERIS. *Rai. corolla magis expanſa et diſſecta, fructu oblongo.*

MEDIVM. *Rai. fructu quinquecapſulari a Campanula differt.*

64. TRACHELIVM. *Tourn.*

Calix minor, quinquifidus, ouarium arcte ambiens; corolla infundibuliformis, tubo tenuiſſimo,

ſimo, limbo quinquifido; ſtylus longiſſimus: fructus trigonus, trilocularis; ſemina exigua.

65. POLEMONIVM. *Tourn.*

Folia alterna, pinnata; calix monophyllus, tubuloſus, quinquifidus; corolla tubo breuiſſimo, valuulis ad orificium poſitis, inſtructa, quinquifida, ferme irregularis; ſtigma per maturitatem trifidum; fructus ſubrotundus, triualuis, trilocularis; ſemina oblonga.

66. CONVOLVVLVS. *Tourn.*

Folia alterna, ſaepius lacteſcunt; caules volubiles, raro non volubiles; calix quinquifidus, externo bifolio interdum accedente; corolla campaniformis, limbo repando, quinqueplicata, vix dentata; ſtylus ſtigmate duplici inſtructus; fructus vt plurimum trilocularis, raro quadrilocularis vel vnilocularis; ſemina anguloſa.

CONVOLVVLOIDES. *Heiſt. quod non volubiles complectitur, huc referatur.*

67. QVAMOCLIT. *Tourn.* IPOMOEA. *Linn.*

Radix annua; caulis volubilis; calix breuis, quinquifidus; corolla infundibuliformis, tubus longiſſimus, limbus patens, vel integer, vel quinquifidus; ſtigma trifidum; fructus et ſemina Conuoluuli.

68. PHILYCA. *Linn.* ALATERNOIDES. *Boerh.*

Folia alterna, ſemper virentia; calix triphyllus; corolla imperforata, tubo conico, limbo quinquepartito vel quadripartito: fructus tricoccus, ſiccus; ſemina ſubrotunda.

69. LYCHNOIDEA. *Dill.* PHLOX. *Linn.*

Folia coniugata; habitu Lychnidis; calix monophyllus, breuior, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, tubo longo, limbo quinquifido; ſtigma trifidum; fructus trigonus, trilocularis, triſpermus.

70. SYMPHORICARPOS. *Dill.*

Folia oppoſita; flores in alis foliorum; calix ouarium arcte cingens, quinquedentatus; corolla campaniformis, ſemiquinquifida; capſula quadrilocularis; ſemina ſolitaria, grani Milii magnitudine.

Ad Loniceram Linn. refert.

71. AZALEA. *Linn.*

Calix paruus, quinquedentatus, ſtellatus; corolla ex baſi anguſta ampliata, longa, quinquifida; fructus quinqueualuis, quinquelocularis; ſemina parua, ſubrotunda.

CHAMAERHODODENDROS. *Tourn. quaedam ſpecies forte huc referri poſſunt.*

72. PATAGONVLA. *Linn.* PATAGONICA. *Dill.*

Calix quinquedentatus, perſiſtens; corolla campaniformis, ſemiquinquifida, laciniis acutis; ſtylus ſimplex, ſemibifidus, qualibet tuba iterum ſemibifida; fructus membranaceus incertus, calici maiori facto inſiſtens.

73. AHOVAI. *Plum. et Tourn.* THEVETIA. *Linn.*

Calix minor, quinquifidus; corolla infundibuliformis, limbus latior, quinquifidus; fructus car-

carnoſus, quaſi pyriformis, breuis, compreſſus, oſſiculo fere trigono foetus, quod ſemen oblongum continet.

74. RAVWOLFIA. *Plum. et Linn.*

Calix minimus, quinquedentatus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, laciniis ſubrotundis; fructus eſt bacca vniloculaŕis; ſemina bina, cordata.

75. COFFEA. *Linn.* COFFE. *Iuſ. et Heiſt.*

Folia Caſtaneae vel potius Lauri maiora; calix ouarium recipiens, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, quinquifida; fructus eſt bacca ſubrotunda; ſemina bina, membrana inuoluta.

76. FRANGVLA. *Tourn.*

Calix nullus; corolla concaua, quinquifida, ſquamulis in interſtitiis laciniarum; fructus mollis; ſemina duo, plana, ſubrotunda.

77. ZIZIPHVS. *Tourn.* IVIVBE. *C. B.*

Folia oblonga, trineruia; flores in alis foliorum ſeſſiles; calix nullus; corolla concaua, quinquedentata, cuius ſegmentis adhaerent ſquamulae; ſtigma bifidum; bacca ouata, pediculo breui inſidens, oſſiculum biloculare, ſeminibus oblongis foetum, continet.

Frangula et Ziziphus ob ſquamulas, ad ſegmenta corollae poſitas, ad pentapetalas nonnunquam referuntur; ad Rhamnum retulit Linnaeus.

78. CORDIA. *Plum. et Linn.* MYXA. *Boerh.* SEBESTENA. *C B.*

Calix monophyllus, tubuloſus, tridentatus,

 perſi-

perſiſtens; corolla infundibuliformis, limbo vt plurimum quinquifido; ſtylus ſuperne bifidus; fructus carnoſus, pruniformis, calice exceptus, pedunculo longo inſidet; nux oblonga, ſulcata, bilocularis vel trilocularis, in ſingulo loculo nucleus vnus.

79. CERBERA. *Linn.*

Calix quinquifidus, paruus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, ſegmentis magnis, obliquis, orificium tubi ſtellatum, quinquedentatum; fructus carnoſus, bilocularis; ſemina oſſea, ouata.

80. TOVRNEFORTIA. *Linn.* PITTONIA. *Plum.*

Calix ouarium cingens, quinquifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubus ouatus, limbus ſemiquinquifidus, ſegmentis acutis; fructus eſt bacca globoſa, bilocularis; ſemina bina, oblonga.

81. VALDIA. *Plum.* OVIEDA. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ouarium cingens, corolla tuboloſa, longiſſimo ouario inſidens, tripartita ferme aequalis; fructus eſt bacca turbinata, binis ſeminibus oblongis foeta.

Linnaeus corollam bilabiatam et ſtamina quatuor habet, quod cum icone Plumerii non conuenit.

82. ALATERNVS. *Tourn.*

Folia alterna, ſemper virentia; calix nullus; corolla infundibuliformis, imperforata, limbo quinquifido, ſquamulae ad ſegmenta limbi vix con-

conſpicuae; bacca ſubrotunda, tria vt plurimum ſemina continet.

Ad Rhamnum retulit Linnaeus.

83. CHRYSOPHYLLVM. *Linn.* CAINITO. *Plum.*

Calix pentaphyllus, paruus, perſiſtens; corolla campanulata, limbo decemfido, laciniis alternis, erectis et patulis; fructus eſt bacca oblonga, vnilocularis; ſemina tria oſſea.

84. RHAMNVS. *Tourn.*

Frutex ſpinoſus; calix nullus; corolla infundibuliformis, quadrifida aut quinquifida; fructus eſt bacca ſubrotunda, quae quatuor vt plurimum ſemina continet.

RHAMNVS. *Linn. Frangulam, Ziziphum, Alaternum, Paliurum et Cerviſpinam coniungit.*

85. SIDEROXYLVM. *Dill. et Linn.*

Calix ſemiquinquifidus, paruus, perſiſtens; corolla quinquifida, denticulis quinque, laciniis interpoſitis; fructus eſt bacca ſubrotunda, vnilocularis; ſemina quatuor.

86. ALKEKENGI. *Tourn.* PHYSALIS. *Linn.* HALICACCABVM. *Sieg.*

Calix campaniformis, quinquifidus; corolla ex tubo breuiori expanſa, quaſi campaniformis, laciniis quinque latis, minime profundis, plicatis; fructus globoſus, bilocularis, ſeminibus planis, plurimis foetus, in veſica, ex calice ampliato, ſuperius conniuente, nata, complexus.

87. SOLANVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, quinquifidus; corolla ex

tubo breui, ampliata, plus minus profunde quinquifida; antherae interdum conniuent; fructus eſt bacca bilocularis; ſemina plurima.

LYCOPERSICVM. *Tourn. quod a Linnaeo ad Solanum refertur, non niſi calice et corolla multifidis, et fructu in plurimas cellulas, ſeminibus planis foetas, diuiſo, ab eodem differt.*

MELONGENA. *Tourn. quae a Linnaeo ad Solanum refertur, fructu maiori carnoſo et ſeminibus reniformibus, ſine ordine nidulantibus, ab eodem differt.*

DVLCAMARA. *Sieg. ad Solanum referatur.*

88. CAPSICVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, quinquifidus: corolla cum Solano conuenit; fructus variae figurae, cauus, ſub cuticula denſa, parum pulpae et ſemina plurima, reniformia continet.

89. MANDRAGORA. *Tourn.*

Radix craſſa; pedunculi florum cum foliis ex radice orti; calix monophyllus, magnus, quinquangularis, ſemiquinquifidus; corolla campaniformis, profundius quinquifida; fructus eſt bacca globoſa, bilocularis; ſemina plura, reniformia.

90. BELLADONNA. *Tourn.* ATROPA. *Linn.*

Calix monophyllus, ſemiquinquifidus; corolla ex tubo breui, anguſto ampliata, vt ferme campaniformis appareat, limbus paruus, quinquifidus, ferme irregularis; bacca globoſa, bilocularis; ſemina plurima, reniformia.

91. STRI-

91. STRYCHNVS. *Linn.*

Calix quinquifidus, minimus, deciduus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, ſegmentis acutis; fructus eſt bacca globoſa, ſub fragili integumento pulpam continens; ſemina orbicularia, villoſa.

92. CESTRVM. *Linn.* HEDIVNDA. *Feuill.*

Calix tubuloſus, breuis, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, tubo longiſſimo, limbo plano, quinquifido; fructus eſt bacca ouata, vnilocularis; ſemina ſubrotunda.

LYCIVM. *Linn. bacca biloculari a Ceſtro differt.* IASMINOIDES. *Dill. et Mich. vtrumque genus coniungit.*

93. BRVNFELSIA. *Plum.*

Calix campanulatus, perſiſtens, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, tubo longisſimo, limbo quinquifido; fructus eſt bacca globoſa, vnilocularis; ſemina ſubrotunda.

94. GENIPA. *Plum.*

Calix ouarium amplectens, margine breui, integro; corolla infundibuliformis, tubo breui, limbo magno, quinquifido; fructus ouatus, carnoſus, bilocularis; ſemina multa, plana.

THEVETIAM *dixerat Linn. in generum editione prima.*

95. MYRSINE. *Linn.*

Calix quinquifidus, paruus, perſiſtens; corolla campanulata, ſemiquinquifida; ſtylus perſiſtens, ſtigma magnum, lanigerum; fructus eſt bacca ſubrotunda, quinquelocularis; ſemina ſolitaria.

B. DISTYLAE.

96. GOMPHRENA. *Linn.* AMARANTHOIDES. *Tourn.* CARAXERON. *Vaill.*

Radix annua; flores in capitulo ſquamoſo collecti, quilibet inter bina foliola imbricata, calici proprio inuolutus haeret; corolla parua, quinquepartita; ſemen ſubrotundum, calyptra inuolutum, plerumque aduncum.

Ad monopetalas compoſitas tubuloſas forte referri poſſet.

97. GENTIANA. *Tourn.*

Folia oppoſita; calix monophyllus, ſemiquinquifidus, quinquangularis; corolla vel campaniformis; profunde quinquifida, vel calathoidea quinquedentata; fructus eſt capſula acuminata, biualuis, bicornis; ſemina orbiculata, vt plurimum margine cincta.

SWERTIA. *Linn. quae in ſingula lacinia ad baſin duo tubercula, viliis cincta, obtinet, huc referatur.*

GENTIANELLA. *Riv. flore calathoideo eſt, et a reliquis diſtinguitur, ſed figurae corollae incerti limites.*

CENTAVRIVM. *Linnaeus huc retulit.*

98. APOCYNVM. *Linn.*

Planta lacteſcens; calix vel nullus, vel minimus, quinquedentatus; corolla campaniformis, ſemiquinquifida; ſtamina minima; ouaria bina, ſtylis breuibus inſtructa; fructus duplex, vnilocularis, vniualuis, membranaceus; ſemina compreſſa, papposa, ſquamatim poſita.

APO-

APOCYNVM. *Tourn. et hoc genus et multas ſpecies ob nectarium ad Aſclepiadem referendas, ob lacteum ſuccum plantae coniungit.*

99. ASCLEPIAS. *Linn.*

Planta vel lacteſcens, vel non lacteſcens; calix minimus, quinquedentatus; corolla quinquifida, plana vel reflexa; nectaria quinque, corniculata; ſtamina parua, corpuſculo conico truncato adnata; ouaria bina, ſtylis breuiſſimis inſtructa; capſula duplex, vniloculari, vniualuis; ſemina vt in Apocyno.

BEIDELSAR. *Knaut. et*

VINCETOXICVM *off. huc pertinent.*

100. STAPELIA. *Linn.* CRASSA. *Riv.* STISSERIA. *Heiſt.* MELEAGRIS. *Sieg.* FRITILLARIA CRASSA. *Hortulanorum.*

Folia craſſa, quadrangularia, in marginibus dentata; calix minor, quinquifidus; corolla plana, quinquepartita; nectarium ſtellatum, quinquifidum; reliqua vt in Aſclepiade.

101. CYNANCHVM. *Linn.*

Nectario cylindraceo; orificio quinquedentato ab Aſclepiade differt.

102. PERIPLOCA. *Linn.*

Planta lacteſcens, ſcandens; calix quinquifidus, minor; corolla profunde quinquifida, laciniis obtuſis; nectarium minimum, cui quinque filamenta reflexa adhaerent; reliqua cum Aſclepiade conueniunt.

103. NERIVM. *Tourn.*

Rami et ſurculi trichotomi, folia rigida, ad nodos ſingulos terna; calix paruus, quinquifidus;

dus; corolla infundibuliformis, tubi orificio corona villoſa inſtructo, laciniis magnis, profundis, obliquis; ouarium breuibus ſtylis inſtructum; fructus cum praecedentibus conuenit.

104. PLVMERIA. *Tourn.*

Planta lacteſcens; habitus Apocyni; flos Nerei, tubo corollae non coronato; fructus ſiſtit folliculos duos, vtrinque reflexos; ſemina foliata, non papposa, ſquamatim poſita.

105. CAMERARIA. *Plum. et Linn.*

Calix quinquifidus, minimus; corolla infundibuliformis, laciniis quinque oblongis, acutis, obliquis; fructus ſiſtit capſulas binas, horizontaliter poſitas, oblongas, lobatas, vniloculares, vniualues; ſemina imbricata.

106. CENTAVRIVM. CENTAVRIVM MINVS. *Tourn.*

Folia oppoſita; calix monophyllus, breuis, in quinque ſegmenta acuta diuiſus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido; capſula cylindracea, bilocularis; ſemina exigua.

Ad Gentianam retulit Linnaeus.

107. MITREOLA. *Linn.* MITRA. *Houſt.*

Calix monophyllus, ſemiquinquifidus, perſiſtens; corolla campanulata, quinquedentata; fructus eſt capſula erecta, bipartita, bilocularis, acuta; ſemina exigua.

C. TRISTYLAE.

108. TINVS. *Tourn.*

Flores in corymbo; calix fructus bifidus vel trifidus; calix floris ouarium ſuſcipiens, quinqueden-

quedentatus; corolla ex tubo breui ampliata, quinquifida; ſtamina ex interſtitiis laciniarum corollae; fructus eſt bacca vmbilicata; ſemen oblongum, membrana cartilaginea cinctum.

109. OPVLVS. *Tourn.* SAMBVCVS AQVATICA. *Rai.*

Flores in corymbo; in margine poſiti, calicem paruum, quinquedentatum et corollam planam, quinquifidam habent, ſine ſtaminibus et ſtylis; flores autem medii, calicem ouarium amplectentem, quinquedentatum; corollam ex tubo breui ampliatam, obtinent; bacca ſemen cordiforme, compreſſum continet.

Flores in margine reſpectu corollae luxuriant, ſed ſtamina et piſtilla deficiunt. Opulus in hortis cultus vix vllum florem perfectum oſtendit. An a luxuriante ſucco?

110. VIBVRNVM. *Tourn.*

Flores in corymbo; calix monophyllus, ouarium amplectens, quinquedentatus; corolla ex tubo breuisſimo ampliata, quinquifida; ouarium coronatum fit bacca ouata; ſemen compreſſum, oſſeum, ſtriatum.

111. SAMBVCVS. *Tourn.*

Rami medulla fungoſa farcti cum pauco ligno; calix ouarium continens, quinquedentatus; corolla rotata, concaua, quinquifida; fructus mollis, tria continet ſemina.

112. PALIVRVS. *Toùrn.*

Frutex ſpinoſisſimus; calix nullus; corolla concaua, quinquedentata, ſquamulis laciniis inſertis; fructus pulpoſus et fungoſus, margine mem-

membranaceo cinctus; ſemina tria, ſubrotunda.

Ad Rhamnum refert Linnaeus.

113. CASSINE. *Linn.*

Folia coniugata; flores in corymbo; calix quinquifidus, perſiſtens; corolla campanulata, patens, quinquifida; fructus eſt bacca trilocularis; ſemina oblonga.

Ad Phillyream refert Dillenius.

V. HEXANTHERAE.

A. MONOSTYLAE.

114. RICHARDIA. *Houſt. et Linn.*

Calix monophyllus, ouarium cingens, ſexfidus; corolla cylindracea, limbo ſexfido, laciniis acutis; ſtylus tribus tubis inſtructus; ſemina tria, anguloſa.

115. TILLANDSIA. *Linn.* CARAGVATA. *Plum.*

Calix monophyllus, trifidus, ſegmentis acutis, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubo longo, ventricoſo, limbo trifido, breui; fructus eſt capſula oblongo-trigona, acuminata, vnilocularis, triualuis: ſemina filo longo affixa.

116. ALOE. *Tourn.*

Radix perennis, fibroſa vel tuberoſa; folia integra, vt plurimum craſſa, ſucculenta; calix nullus; corolla tubuloſa, inferius ventricoſa, ſuperius in ſex ſegmenta, vel profunda, vel minus profunda, erecta, vel reflexa, diuiſa; ouarium in quibusdam ſpeciebus infra florem, in aliis intra

intra eundem poſitum; fructus cylindraceus, quodammodo hexagonus, vel trigonus, trilocularis; ſemina plana, in quolibet loculo duplici ſerie poſita.

117. YVCCA. *Boerh.*

Radix craſſa, quaſi tuberoſa; folia anguſta, longa, rigida, apice aculeato; calix nullus; corolla campaniformis, profunde ſexfida; ſtigma trifidum; fructus vt in Aloe.

118. NARCISSVS. *Tourn.*

Radix bulboſa, tunicata; folia linearia, anguſtiora et anguſtiſſima; ſpatha membranacea, oblonga, compreſſa, in plano latere corollam per fiſſuram emittens; corolla tuboloſa, partim in ſex lacinias profundas, partim in tubum floralem ſiue coronam breuiorem vel longiorem extenſa; ſtigma trifidum; ouarium ſub corolla in ſpatha poſitum; fructus oblongus, trigonus, trilocularis, ſemina ſubrotunda.

119. ASPHODELVS. *Tourn.*

Radix multis tuberibus napiformibus, ex vno corpore pendulis, conſtat; flores in ſpica; calix nullus; corolla ſtellata, profundius ſexfida, *in officinali ſpecie irregularis apparet*; ſtamina baſi filamentorum ampla, et a petalis verſus ouarium flexa; fructus eſt capſula globoſa, trilocularis; ſemina triquetra vel anguloſa.

120. LILIO-ASPHODELVS. *Tourn.*

Radix Aſphodeli; calix nullus; corolla inferius tuboloſa, profundius ſexfida, liliacea, flexa; ſtamina ad ductum corollae flexa; ſtylus flexus; fructus ouatus, trilobus, trilocularis; ſemina ſubrotunda.

HEME-

HEMEROCALLIS. *Linn. hoc genus cum Liliaſtro Tourn. coniungit.*

121. HYACINTHVS. *Tourn.*

Radix bulboſa, tunicata; folia longa, anguſta; calix nullus; corolla tubuloſa, in ſex lacinias reflexas diuiſa; fructus eſt capſula ſubrotunda, trigona, trilocularis; ſemina ſubrotunda.

122. MVSCARI. *Tourn.*

Radix et folia Hyacinthi; flores in ſpica, vel laxiore, vel denſiore, vel comoſa; calix nullus; corolla breuis, vrceolata, ad oras in ſex crenas reflexas diuiſa; fructus vt in Hyacintho.

Linnaeus hoc genus ad praecedens retulit.

123. POLIANTHES. *Linn.* HYACINTHVS TVBEROSVS. *Boerh.* TVBEROSA. *Heiſt.*

Radix tuberoſa; folia radicalia anguſta, longa; caulis erectus, foliis vaginantibus cinctus; calix nullus; corolla infundibuliformis, tubo incuruo, limbo in ſex lacinias diuiſo; ſtylus ſtigmate tripartito inſtructus; capſula oblonga, trilocularis; ſemina plana.

124. HAEMANTHVS. *Tourn.*

Bulbus ſquamoſus, ſaepe quaſi bifoliatim confectus; folia bina ex bulbo orta; caulis ſimplex, fungoſus, craſſus, maculatus, flores in vmbella ſuſtinens; calix communis hexaphyllus, proprius nullus; corolla tubo breui, ſegmentis ſex, gracilibus, longis, erectis; ouarium, ſub flore poſitum, mutatur in capſulam trigonam, trilocularem; ſemina ſolitaria, triquetra.

DRACVNCVLOIDES. *Boerh. cui flos hexapetalos male adſcribitur, huc referatur.*

125. RENE-

125. RENÈALMIA. *Plum. et Linn.*

Calix triphyllus, deciduus; corolla infundibuliformis, limbo tripartito; fructus eſt capſula oblonga, acuminata, trilocularis, triualuis; ſemina oblonga, filo affixa.

126. POLYGONATVM. *Tourn.*

Radix tuberoſa, repens; caulis multis foliis neruoſis veſtitus; flores ex alis foliorum penduli; calix nullus; corolla tubuloſo-ventricoſa, ſexfida; bacca trilocularis, globoſa, ſeminibus ſubrotundis, plurimis foeta.

127. CONVALLARIA. LILIVM CONVALLIVM. *Tourn.* MAIANTHEMVM. *Sieg.*

Folia neruoſa; caulis nudus; flores in ſpica homomalla penduli; calix nullus; corolla campaniformis, globoſa, ſexfida; fructus eſt bacca globoſa; ſemina plurima.

CONVALLARIA. *Linn. non ſolum hoc et praecedens genus, ſed Vnifolium quoque comprehendit.*

128. PRINOS. *Linn.*

Calix monophyllus, ſemiſexfidus, perſiſtens; corolla rotata, limbo ſexpartito; fructus eſt bacca ſubrotunda, ſexlocularis; ſemina oſſea, ſolitaria.

B. TRISTYLA.

129. COLCHICVM. *Tourn.*

Radix tuberoſa, duplex, perpendiculariter coniuncta; folia poſt florem delapſum cum fructu prorumpentia; calix nullus; corolla, tubi tenuiſſimi forma, ex radice oriunda, ſex laciniis profundis, oblongis, concauis, erectis, con-

ſpicua; fructus trigonus, trilocularis, oblongus; ſemina ſubrotunda.

VI. HEPTANTHERA.

MONOSTYLA.

130. TRIENTALIS. *Riu.*

Folia in ſummo cauliculo, velut in vmbella poſita, ex quibus pedunculi florum emergunt; calix multifidus, ſtellatus, laciniis anguſtis; corolla rotata, ad fundum vſque multifida, ſegmentis cuſpidatis; *numerus partium ſeptenarius vulgatiſſimus eſt*; capſula ſphaerica, trifariam dehiſcens; ſemina anguloſa.

VII. OCTANTHERAE.

A. MONOSTYLAE.

131. ERICOIDES. ERICA. *Rupp. et Linn.*

Planta ſemper virens; folia tenuiſſima; flores in ſpica; quatuor foliola plantae florem inſtar calicis ſuſtinent; calix proprius quadrifolius, ruber, corollam ſuperans; corolla minor, profunde quadrifida, *vt ferme tetrapetala videatur*, cum calice marceſcens, perſiſtens; capſula depreſſa minor, quatuor lineis exterius diuiſa; ſemina tenuiſſima.

Ad Ericam refert Tournefortius.

132. THYMELAEA. *Tourn.* DAPHNE. *Linn.*

Folia integra; vimina lenta; flores in gemma vel alis foliorum latentes; calix nullus; corolla infundibuliformis, quadrifida; ſtylus breuiſſimus; fructus ouatus, nunc ſiccus, nunc ſucci plenus, ſemen vnicum oblongum continens.

LAV-

LAVREOLA. *Rai.* MEZEREVM. *Sieg. huc refe-ratur.*

133. LAVRVS. *Linn.*

Flores in quibusdam ſpeciebus ex alis folio-rum, in gemma quadrifolia contenti, in aliis in ſummis ramulis; calix proprius nullus, vel exi-guus; corolla quatuor, vel pluribus laciniis pro-fundis inſignis; ſtamina octo, nouem vel plura; in fundo floris nectaria ex tuberculis filamento-ſa; filamenta ſtaminum interiorum tuberculis an-nexis ornata; ſtylus ſimplex, ſtigma obliquum; ouarium mutatur in baccam oualem, quae ſub cortice nucleum, ſemine foetum, continet.

Huc igitur a Linnaeo referuntur:

LAVRVS. *Tourn. Flores in alis foliorum conglo-merati; flores ſtaminei et piſtillati in duplici plan-ta; corolla monopetala, vt plurimum quadrifida; ſtamineus flos, ſtamina octo ad duodecim; piſtilla-tus, piſtillum acuminatum et baccam oblongam continet.*

CINNAMOMVM. *Burm.* CARVA. *H. Mal. Fo-lia oblonga, trineruia; flores in ſummis ramulis; corolla ſexfida; bacca, glandi quercinae ſimilis, in calice multifido contenta.*

CAMPHORA. *Boerh. Folia pyri neruoſa, alterna; flores in alis foliorum racemoſi; calix nullus; co-rolla profundius quinquifida vel ſexfida; fructus nu-ciformis, cortice et putamine fragili, nucleo bifido.*

BORBONIA. *Plum. Folia anguſta, acuminata, neruis transuerſalibus inſignita; corolla ſexfida, ſeg-mentis tribus maioribus, tribus minoribus; fru-ctus glandiformis, in binos lobos fiſſilis, calici car-noſo inſidens.*

° PERSEA. *Plum. Folia oblongo-acuminata, ex media coſta neruoſa; flores in alis foliorum; corolla fere hexapetala, tribus petalis exterioribus, tribus interioribus; ſtamina ſex; fructus eſt bacca maior; ſemen durum, bilobum et membrana inuolutum.*

BENZOIN. *Boerh. Flores tres vel plures in gemma quadrifolia; calix nullus; corolla ſexfida vel octofida; ſtamina octo vel nouem, breuia; ſtylus longus; fructus Lauro ſimilis.*

SASSAFRAS. *C. B. Folia triloba, trineruia; flores ex alis foliorum in inuolucris tetraphyllis; flos et fructus Lauri.*

134. VACCINIVM. *Linn.* VITIS IDAEA. *Tourn.*

Flores vel ſparſim, vel racematim in ſummis ramis poſiti; calix ouarium comprehendens, breuiſſimus, interdum quadrifidus vel quinquifidus; corolla campanulata, plus minus globoſa, quadrifida, vel quinquifida; fructus eſt bacca globoſa, vmbilicata; ſemina exigua, plura.

VACCINIA. *Dod. et* MYRTILLVS. *Tab. huc referantur.*

Oxycoccum. Tourn. huc quoque refert Linnaeus.

135. GVAIACANA. *Tourn.* GVAIACVM PATAVINVM. *Rai.* DIOSPYROS. *Linn.*

Folia alterna, caduca; calix vt plurimum quadrifidus; corolla campaniformis, tubulata, ſuperius plerumque quinquifida; ſtylus tubis quatuor inſtructus; fructus eſt bacca ſubrotunda; ſemina ouata, in circulum diſpoſita.

136. SANTALVM. *Linn.*

Calix ouarium cingens, quadridentatus; corolla

rolla campanulata, quadrifida, ſegmentis acutis; fructus eſt pulpoſus, nondum ſatis deſcriptus.

B. TETRASTYLA.

137. MOSCHATELLINA. *Tourn.*

ADOXA. *Linn.*

Radix geniculata, ad latus fibroſa; folia fumariae bulboſae; flores in capitulum cubicum collecti; calix bi-vel trifolius: corolla ouarium complectens, concaua, quinquifida, laterales interdum quadrifidae, ſumma ſexfida; ſtamina quandoque plura; fructus pulpoſus, quatuor vel pluribus ſeminibus foetus.

VIII. ENNEANTHERA.

MONOSTYLA.

138. RHEVM. *Linn.* RHABARBARVM. *Tourn.*

Radix craſſa, tuberoſa; folia ampla, non raro vndulata; ſcapus mollis, fiſtuloſus, in ſpicas irregulares ramoſus; calix nullus; corolla parua, campanulata, ſexfida; ſtylus breuiſſimus, ſtigmata tria; fructus eſt ſemen vnicum, triquetrum, in angulis alatum.

IX. DECANTHERAE.

A. MONOSTYLAE.

139. ERICA. *Tourn.* ANDROMEDA. *Linn.*

Planta ſemper virens; folia tenuiſſima; flores in ſpica; calix paruus, quinquifidus, ſtellatus; corolla ouato-campanulata, quinquedentata; fructus eſt capſula ſubrotunda, quinqueualuis, quinquelocularis, corolla marcida cinctus; ſemina exigua.

CHAMAEDAPHNE. *Buxb.* HYDRAGONVM. *Sieg.* POLIIFOLIA. *Buxb.* LEDOIDES. *Sieg.* ERICA SPVRIA *ſeu* TETRALIX. *Rupp. et* CHAMAERHODODENDROS. *Tourn. quaedam ſpecies huc referri poſſunt.*

LEDVM. Mich. quod Linnaeus huc refert, ob calicem pentaphyllum; corollam rotatam, profunde quinquifidam, et ſtigma emarginatum, omnino differre videtur.

140. ARBVTVS. *Tourn.*

Folia oblonga, ſerrata, ſemperuirentia; calix breuis, quinquifidus; corolla campaniformis, globoſa, quinquifida; fructus pulpoſus, quinquelocularis; ſemina plurima.

VVA VRSI. *Tourn.* ARCTOSTAPHYLON. *Sieg. cum praecedente ferme conuenit, et a Linnaeo huc refertur.*

B. DISTYLA.

141. ROYENA. *Linn.*

Calix ventricoſus, quinquedentatus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido; fructus eſt capſula vnilocularis, quadriualuis; ſemina oſſea quatuor, calyptra obuoluta.

C. PENTASTYLAE.

142. COTYLEDON. *Tourn.*

Habitus plantae ſucculentus; calix paruus, quinquifidus; corolla campanulata, tubuloſo-ventricoſa, quinquifida, quinque ſquamulae nectariferae ad baſin ouarii; fructus quinquecapſularis, capſula ſingula vniualui; ſemina exigua.

CRASSVLA Dill. corolla infundibuliformi ferme

me ad baſin diuiſa, quaſi pentapetala, et ſtaminibus quinque potiſſimum a Cotyledone differt.

143. OXYS. *Tourn.* ACETOSELLA. *Riu.* OXALIS. *Linn.* OXYOIDES. *Garc.* LVIVLA. *Sieg.*

Folia ternata, cordata, acida; calix monophyllus, paruus, quinquifidus; corolla profunde quinquifida, vt pentapetala videatur; fructus eſt capſula pentagona, angulis dehiſcens, per maturitatem elaſtica, quinquelocularis; ſemina angulosa.

X. POLYANTHERAE.

A. MONOSTYLAE.

a) Staminum filamentis in cylindrum coalitis.

Flores harum plantarum, a communiſſima, Maluacei dicuntur.

Corolla eſt profunde quinquifida, vt quaſi pentapetala videatur.

Stamina plurima, antheris diſtincta, filamenta coaleſcunt in tubum, per quem ſtylus aſſurgit.

Stylus ſimplex, vel integer, vel in multas tubas diuiſus.

144. MALVA.

Radix fibroſa; calix duplex, exterior profunde trifidus, interior ſemiquinquifidus; tubae multae, reflexae; fructus planus, orbiculatus, conſtans ex ſeminibus plurimis, reniformibus, quorum ſingulum integumento petſiſtente cingitur, omnia mediae axi fructus circumponuntur.

MALVA. *Tourn. quae folia minus ſecta, rotunda, ſinuata, anguloſa, obtinet, et*

ALCEA. *Tourn. quae non niſi foliis, in profundas lacinias diuiſis, a Malua differt, coniunguntur.*

MALVA. *Linn. Maluas et Alceas Tourn. coniungit, et quasdam Abutili ſpecies, calice conuenientes, addit.*

145. ALCEA. *Linn.*

Maluas ſic dictas roſeas, quarum calix exterior ſemiſexfidus, interior ſemiquinquifidus eſt, ſiſtit.

146. ALTHAEA. *Tourn. et Linn.*
BISMALVA. *Off.*

Habitus lanuginoſus; calix exterior monophyllus, nouemfidus, interior ſemiquinquifidus; tubae et fructus Maluae ſimiles.

147. LAVATERA. *Tourn.*

Calix et reliqua Maluae ſimilia, ſed ſemina ſuperius clypeo conuexo tecta.

148. MALVINDA. *Dill.* MALVEOLA. *Heiſt.*

Calix ſimplex, multifidus; tubae multae; capſulae multae, quarum ſingula vnicum ſemen continet, in orbem poſitae, vnicornes, bicornes, vel tantum eminentia quadam praeditae.

SIDA. *Linn. non tantum Maluindas, ſed quasdam quoque Abutili ſpecies; calice conuenientes, complectitur.*

149. MALACOIDES. *Tourn.*
MALOPE. *Linn.*

Calix et reliqua Maluae ſimilia; fructus ex multis

multis capſulis, in capitulum botryoideum collectis, componitur, in ſingula capſula ſemen vnicum, reniforme.

150. GOSSYPIVM. *C. B. et Linn.*
XYLON. *Tourn.*

Habitus Maluae; calix exterior monophyllus, ſemitrifidus, interior monophyllus, erectus, quinquefariam emarginatus; ſtigmata quatuor; fructus eſt capſula acuminata, quadriualuis, quadrilocularis; ſemina ſubrotunda, lana inuoluta.

151. KETMIA. *Tourn.*

Habitus Maluae; calix exterior octophyllus, interior monophyllus, campanulatus, quinquifidus; corolla profunde quinquifida; ſtylus in quinque tubas diuiſus; fructus vt plurimum acuminatus, quinquelocularis; ſemina variae formae.

HIBISCVS. *Linn. Ketmiam Tourn. et Maluauiſcum Dill. ob calicis conuenientiam coniungit.*

BAMMIA. *Riv.* TRIONVM. *Linn. calice externo multifido, a praecedente differre videtur.*

152. VRENA. *Dill.*

Calix duplex, exterior monophyllus, ſemiquinquifidus, interior pentaphyllus, ſegmentis anguſtis; ſtigmata decem, reflexa; fructus eſt capſula, quinquelocularis, hiſpida; ſemina ſolitaria, ſubrotunda.

153. ABVTILON. *Tourn.*

Habitus Maluae; calix ſimplex, monophyllus, erectus, ſemiquinquifidus, vel duplicatus, Maluae ſimilis; corolla profundius diuiſa, vel patens,

tens, vel contracta; ſtylus multifidus; fructus vaginulis multis, ſaepius cornutis, in capitulum collectis, conſtat, in ſingulis loculis ſemina plura, reniformia.

ABVTILOIDES. *Sieg. huc referatur.*

Linnaeus hoc genus partim ad Maluam, partim ad Sidam ſuam retulit, ob calicis, quem ille prae reliquis attendit, differentiam.

154. CAMELLIA. *Linn.*

Calix polyphyllus, ſquamoſus; ſtigma reflexum; fructus eſt capſula turbinata, ſulcata, in loculis oſſeis ſemina minora continens.

155. MALVAVISCVS. *Dill.*

Folia Althaeae ſimilia; frutex ſcandens; flores in alis foliorum; calix exterior polyphyllus, interior monophyllus, ſemiquinquifidus, erectus; corolla laciniis conuolutis; ſtylus eminens, ſuperius quinquifidus, fructus pulpoſus, quinque ſeminibus foetus.

Ad Hibiſcum refert Linnaeus.

b) Staminibus diſtinctis.

156. ACACIA. *Tourn.*

Folia pinnata, minima; flores in capitulum ſphaericum collecti; calix monophyllus, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, quinquifida; fructus leguminoſus, cylindraceus, vnilocularis; ſemina ſubrotunda, in foueis internis latentia.

Ad Mimoſam refert Linnaeus.

157. MIMOSA. *Tourn.* AESCHINOMENE. *H. Amſt. et Knaut.*

Cum praecedente conuenit; fructus autem legu-

leguminoſus, compreſſus, articulatus, ſemina ſubrotunda continet.

Quaedam ſpecies folia ſenſitiua habent.

158. GETHYLLIS. *Linn.*

Spatha monophylla, vniflora; corolla ouario inſidens, infundibuliformis, tubo tenuiſſimo et longiſſimo, limbo ſexfido; ſtylus ſtigmate trifido inſtructus; fructus eſt capſula ventricoſa, trilocularis; ſemina multa.

159. STYRAX. *Tourn.*

Folia ſubrotunda, acuminata; calix monophyllus, breuis, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, tubo breui, limbo laciniis quinque vel ſex maioribus diuiſo; fructus carnoſus, duplici oſſiculo foetus.

160. PLINIA. *Plum. et Linn.*

Calix paruus, quinquedentatus; corolla campanulata, patens, profunde quinquifida, laciniis ouatis, concauis; ſtamina copioſa; fructus fit bacca globoſa, ſulcata, vnilocularis; ſemen magnum, globoſum.

161. MELOCACTVS. *Tourn.* ECHINOMELOCACTVS. *Herm.*

Radix fibroſa; planta habitu ſingulari praedita, tota ſubgloboſa, ſucculenta, tuberculata et echinata, foliis deſtituta; flores ex interſtitiis tuberculorum; calix oblongo-tubuloſus et ventricoſus, ſuperius vt plurimum ſexfidus, ouario inſidens; corolla petala plura, inter ſe et cum calice coalita ſiſtit; fructus eſt bacca oblonga, vnilocularis; ſemina numeroſa, parua, in pulpa nidulantia.

162. CE-

162. CEREVS. *Iuſſ. et Boerh.*

Radix viuax, fibroſa, ratione plantae exigua; planta aphyllos, ſucculenta, habitu ſpinoſo et anguloſo; caulis erectus vel inflexus, continuus, vel articulatus; calix ouarium complectens, longus, tubuloſus, ſquamulis obſitus, in ambitu multifidus, laciniis longioribus; corolla petala plura, anguſta, inter ſe et cum calice coalita ſiſtit; fructus ſub membrana hirta, lenta mollem carnem, multis ſeminibus foetam, oſtendit.

163. OPVNTIA. *Tourn.* TVNA. *Dill.* ANAPALLVS. *Sieg.*

Planta habitu ſingulari praedita, ex multis foliis oblongis, craſſis, ſucculentis, aliis ex aliis enaſcentibus, compoſita; calix ex ambitu foliorum emergens, ouarium complectens, ſuperius multifidus; corolla ſiſtit petala plurima, vnguibus coniuncta; fructus carnoſus, ſpinis tenuiſſimis hirtus, vmbilicatus; ſemina parua, in pulpa nidulantia.

164. PERESKIA. *Plum.*

Fructu globoſo et foliis ornato a praecedentibus differt.

CACTVS. *Linn. praecedentia quatuor genera complectitur, quorum etiam flos polypetalos nonnullis dicitur.*

165. MARCGRAVIA. *Plum. et Linn.*

Calix ſquamoſus; corolla conica, ouata, integra baſi ſecedens, decidua; fructus fit bacca globoſa, vnilocularis; ſemina multa, exigua.

B. TRI-

B. *TRISTYLA.*

166. EVPHORBIA. *Linn.*

Planta lacteſcens; radix fibroſa vel tuberoſa; calix forma binorum foliorum florem ſuccingit, raro monophyllus; corolla ventricoſa, quatuor vt plurimum ſegmenta ſemilunaria, non decidua, diuerſa a ventre ſubſtantia oſtendit; ſtamina ſucceſſiue ex ventre corollae emergunt; thalamus, columnae inſtar, ſurgit, et ouarium ſuſtinet, cui ſtyli adhaerent; fructus eſt capſula trigona vel hexagona, trilocularis, tricocca, ad latus reflexa; ſemina ſubrotunda.

Ob ventrem corollae flos Tournefortio dicitur campaniformis globoſus, Riuinus tantum appendiculas ſeu ſegmenta numerat, et florem tetrapetalum irregularem appellat; irregularitas tamen tantum ab ouario emergente dependet.

TITHYMALVS. *Tourn.* ESVLA. *Riv. planta foliis alternis, integris ornata.*

EVPHORBIVM. *Tourn. caule craſſo, carnoſo, anguloſo, aphyllo, non raro ſpinoſo a Tithymalo Tourn. differt.*

TITHYMALOIDES. *Tourn. Ventre corollae inferne ad baſin in vno latere ampliato, vel flore forma calcei anomalo, a Tithymalo Tourn. differt.*

C. *PENTASTYLA.*

167. FICOIDES. *Tourn.* MESEMBRYANTHEMVM. *Dill.*

Tota planta ſucculenta; folia coniugata; calix carnoſus, quinquifidus, ouarium amplectens; corolla multis laciniarum ſeriebus, *hinc*

poly-

polypetala videtur, in fundo intime in vnum quaſi annulum connexis conſtans; filamenta non raro coalita; ſtyli quatuor, vel decem interdum inueniuntur; fructus eſt capſula, vt plurimum quinquelocularis, quinquangularis; ſemina plurima.

* *

CLASSIS II.

Plantae flore perfecto, ſimplici, irregulari, monopetalo.

I. MONANTHERAE.

MONOSTYLAE.

168. CANNA. *Riv. et Linn.* CANNACORVS. *Tourn.*

Radix tuberoſa; ouarium ſub flore; calix triphyllus, foliolis erectis, acutis; corolla tubuloſa, ſexpartita, laciniis tribus exterioribus erectis, acutis, tribus interioribus longioribus, binis ſurſum erectis, ſubrotundis, tertia antrorſum reflexa; filamentum et ſtylus laciniis corollae ſimiles; capſula ſcabra, calice perſiſtente coronata, triſulca, trilocularis; ſemina ſphaerica.

169. CVRCVMA. *Linn.*

Spathae partiales deciduae, loco calicis; petalum, tubo anguſto, limbo quadripartito, inſtruitur, laciniis tribus anguſtis, quarta maxima; filamenta quinque, vnicum tantum antheram obtinet; ſtylus ſimplex, ſtigma vncinatum; fructus

fructus eſt capſula trilocularis, triualuis, plurimis ſeminibus foeta.

170. AMOMVM. *Linn.*

Spathae flores ſuccingentes, loco calicis; corolla ouario inſiſtit, breui tubo, laciniis quatuor, irregulariter poſitis; ſtamen, filamento membranaceo, anthera lineari, inſtructum; fructus trilocularis, triualuis; ſemina anguloſa.

CARDAMOMVM. *Rai. et forte* ZINGIBER. *Boerh. huc referri meretur.*

171. COSTVS. *Linn.*

Spadix ſimplex, ſuſtinens floſculos, ſpathis ſimplicibus ſuccinctos; calix tridentatus, breuis, ouario inſidens; corolla tripartita, laciniis lanceolatis, ex quorum medio petalum ſurgit magnum, bilabiatum, labio inferiore amplo, trifido, ſuperiori anguſto, antheram linearem ſuſcipiente; ſtigma capitatum, emarginatum; fructus eſt, capſula trilocularis, triualuis, ſemina anguloſa continens.

172. MARANTA. *Plum.*

Calix monophyllus, profunde trifidus, ſegmentis acutis, ouario inſiſtens; corolla infundibuliformis, ſexfida, laciniis alternis maioribus et minoribus; ſtamen filamento membranoſo annexam habet antheram linearem; ſtylus incuruus; fructus eſt capſula triualuis, forte trilocularis; ſemen vnum alterumque, rugoſum.

173. ALPINIA. *Linn.* ALPINA. *Plum.*

Calix trifidus, perſiſtens, ouario inſiſtens; corolla duplicata, exterior trifida, lacinia ſuperiore

riore concaua, binis reliquis lateralibus, interior breuior, lacinia infima inter laterales praecedentis propendente; ſtamen filamentum, laciniae corollae ſimile, obtinet, cui adhaeret anthera linearis; ſtigma trigonum; fructus eſt capſula carnoſa, triloeularis, triualuis, ſeminibus oblongis, thalamo pulpoſo adhaerentibus foeta.

II. DIANTHERAE.

MONOSTYLAE.

174. MORINA. *Tourn.* DIOTHECA. *Vaill.*

Calix inferior tubuloſus, perſiſtens, ore dentato, denticulis binis, oppoſitis, longioribus; calix ſuperior ouulo inſiſtens, corollam inferius cingens, tubuloſus, bifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubo longo, ſenſim ampliato, limbo bilabiato, labio ſuperiore diuiſo, inferiore tripartito; ſtigma globoſum; fructus eſt ſemen vnicum, nudum.

175. COLLINSONIA. *Linn.*

Calix monophyllus, paruus, quinquedentatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori maximo, in multas et ramoſas lacinias diuiſo, labio inferiori quadridentato; ſemen vnicum, globoſum.

176. SALVIA. *Linn.*

Calix campanulatus, bilabiatus, labio ſuperiori trifido, inferiori bifido, acuto; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, variae figurae, inferiori tripartito, lacinia media maxima, emarginata; filamenta bina veras antheras

theras ferunt, ex mediis vero filamentis appendiculae ſurgunt, quae vel antheram imperfectam, vel glanduloſum corpus ferunt; ſemina quatuor, ſubrotunda.

Labii potisſimum ſuperioris in corolla differentia ſequentia genera effecit, habet enim labium ſuperius

SALVIA. *Tourn. erectum, emarginatum.*

SCLAREA. *Tourn. falcatum, largum, aduncum, emarginatum.*

HORMINVM. *Tourn. breue, nec falcatum, nec aduncum.*

GALLITRICHVM. *Riv. breue, concauum, compresſum, tenuisſime cum tubo cohaerens.*

177. ROSMARINVS. *Tourn.*

Radix perennis; caules duri, fruticoſi; folia anguſta, oblonga; verticilli rariores; calix monophyllus, ſuperius compresſus, bilabiatus, labio ſuperiori integro, inferiori diuiſo; corolla tubo breui inſtructa, bilabiata, labio ſuperiori integro, reflexo, acute emarginato, labio inferiori trifido, laciniis lateralibus acutis, media maiore, oblonga; ſemina quatuor, oblonga.

178. LYCOPVS. *Tourn.* PSEVDO-MARRVBIVM. *Riv.* MARRVBIVM AQVATICVM. *Rai.* LYCOPNVS. *Sieg.*

Flores in verticillis denſioribus, longius diſtantibus; calix breuis, in quinque ſegmenta acute diuiſus, corolla ferme regularis, quadrifida, lacinia, quae labium ſuperius ſiſtit, non nihil latiore, emarginata; ſemina quatuor, ſubrotunda.

179. MONARDA. *Linn.* ORIGANVM SPVRIVM. *Riv.*

Calix monophyllus, tubuloſus, ſtriatus, ſuperius quinquedentatus; corolla tubuloſa, longa, labium ſuperius integrum, anguſtum, inferius integrum apparens, in fine trifidum, lacinia media productiore, leuiter emarginata; ſemina quatuor, ſubrotunda.

Ad Clinopodium retulit Boerh.

180. ZIZIPHORA. *Linn.*

Calix tubuloſus, longus, ſtriatus, hiſpidus, quinquedentatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori oblongo, leuiter emarginato, inferiori trifido, laciniis aequalibus; ſemina quatuor, oblonga, anguloſa.

181. LENTIBVLARIA. *Riv.* VTRICVLARIA. *Linn.* MILLEFOLIVM PALVSTRE GALERICVLATVM. *Rai.*

Folia tenuiſſima, aquis innatantia, veſiculis, quaſi lenticulis, ornata; radix fundum petens, fibroſa; calix diphyllus, deciduus; corolla bilabiata, rictu clauſo, calcare donata, labium ſuperius et inferius integrum, duplici tumore inſigne; ſtigma conicum; capſula ſubrotunda, vnilocularis, plurima ſemina continet.

182. GRATIOLA. *Rai.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus; corolla tubuloſa, bilabiata, tubo nonnihil inflexo, ſtriato, limbo minore, labio ſuperiori latiore, emarginato, inferiori trifido; filamenta quinque, quorum bina poſteriora tantum antheris

ris praedita ſunt; capſula oblonga, acuminata, bilocularis; ſemina exigua.

183. VERONICA. *Tourn.*

Calix monophyllus, profunde quadrifidus; corolla rotata, tubo plus minus euidenti, limbo quadrifido, laciniis inaequalibus; capſula bilocularis, vt plurimum compreſſa, cordiformis; ſemina parua.

BECCABVNGA. *Rupp. flores in ſpicis, ex alis foliorum oriundis.*

VERONICASTRVM. *Heiſt. corolla magis tubuloſa, limbo vix expanſo, capſulae teretes, flores in ſpicis denſis, in ſummis ramulis.*

VERONICELLA. *Heiſt. flores ſinguli ex alis foliorum.*

VERONICACHIA. *Heiſt.* MORSVS GALLINAE MINOR. *Rai. fructus quaſi teſticulatus.*

Haec ob ſtamina bina et corollam quadrifidam optime ſub Veronicae genere comprehenduntur.

184. ADHATODA. *Tourn.* ECBOLIVM. *Riv.* IVSTICIA. *Linn.*

Calix exterior trifolius, folio medio maiore, lateralibus minoribus; calix interior profunde quinquifidus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori emarginato, vel concauo, vel reflexo, interiori trifido; capſula oblonga, inferius anguſta, bilocularis, ſepto valuis contrario; ſemina ſubrotunda, vel cordata.

III. TRIANTHERAE.

MONOSTYLAE.

185. VALERIANA. *Tourn.*

Folia coniugata; flores in corymbum diſpoſi-

ti: foliola vaga, ad ramos corymbi poſita, calicis vice funguntur; corolla infundibuliformis varia, ouario impoſita, in quibusdam tubus calcare donatus, in aliis limbus quinquifidus irregularis, in aliis ferme regularis; fructus eſt ſemen oblongum, pappoſum.

PHV. *Rupp.* VALERIANOIDES. *Knaut. et Vaill. ſolo calcare ad tubum accreſcente diſtinguuntur, ob ſeminis conuenientiam huc referantur.*

186. VALERIANELLA. *Tourn.*

Radix annua, fibroſa, folia coniugata; caules et rami dichotomi; flores in vmbella ſimplici; calix monophyllus, exiguus, vel nullus; corolla infundibuliformis, ouulo inſidens, vt in praecedenti varia; ſemen variae formae, non pappoſum.

CORNVCOPIOIDES. *Knaut. quod figura ſeminis et modo florendi diuerſum videtur, nec non*

LOCVSTA. *Riv. cui ſemina bina adſcribuntur, licet obſeruante Tournefortio vnum tantum fertile ſit, huc referantur.*

VALERIANA. *Linn. hoc et praecedens genus coniungit.*

187. GLADIOLVS. *Tourn.*

Radix bulboſa, ſolida; folia gladii laminam referunt, flores ex folioſis cauli adnatis; ouarium ſub corolla; corolla tubuloſa, breuis, ſex laciniis irregularibus, in formam floris bilabiati diſpoſitis; ſtigma trifidum, capſula oblongo-trigona, trilocularis, triualuis; ſemina ſubrotunda, calyptra inuoluta.

ANTHOLYZA. *Linn. huc referri poteſt.*

IV. TE-

IV. TETRANTHERAE.

MONOSTYLAE.

In his tetrantheris, nec non in variis totius huius claſſis floribus, in primis in diantheris maxima ſtructurae partium conuenientia obſeruatur, ſcilicet:

Calices monophylli, vt plurimum quinquifidi et bilabiati, labio ſuperiori bifido, inferiori trifido.

Corolla tubuloſa, vel tubuloſo-ventricoſa, limbo bilabiato varie diuiſo, hinc maximam partem monopetalarum irregularium conſtituunt, et a Tournefortio bilabiati, vel in nonnullis perſonati, dicuntur; laciniae corollae potisſimum differentiam genericam conſtituunt; attamen laciniae plus minus emarginatae, labia vel ſemitrifida, vel trifida et ſic porro, fallaciam ſaepius in generibus et generum ſpeciebus inducunt.

Stamina, bina altiora, bina profundiora, efficerunt, vt Didynamia conſtitueret Linnaeus licet proportio non ſemper adeo accurate inueniatur.

Stylus, qui ouario diuerſo inſiſtit, ſemper ſimplex, ſtigmate vtplurimum bifido.

Semina quatuor, vt plurimum nuda, raro vnicum, ſed in capſulis et baccis vix aliquid certi eſt.

Non raro in verticillis, vel ſpicis verticillatis creſcunt, hinc Raius has plantas verticillatas appellat.

Tanta igitur eſt partium differentia, vt in plurimis quidem aliqua conuenientia characteris naturalis inueniatur, in plurimis vero deficiat.

a) Fructu gymnoſpermo.

188. SCHWALBEA. *Linn.*

Calix monophyllus, tubuloſo-ventricoſus, ore quinquedentato, quaſi bilabiato, corolla

 tubu-

tubuloſa, limbo erecto, bilabiato, labio ſuperiori integro, inferiori trifido, laciniis aequalibus; fructus eſt ſemen vnicum, ſubrotundum, paruum.

189. CRANIOLARIA. *Linn.*

Calix exterior tetraphyllus, breuis; interior ſpatha inflata, ex vna parte longitudinaliter diſſecta; corolla tubuloſa, bilabiata, tubo tenui, longisſimo, labio ſuperiori integro, inferiori trifido, lacinia media maiore; nux lignoſa, ſulcata, coriaceo integumento biualui, cincta.

190. TEVCRIVM. *Linn.* CHAMAEDRYS. *Hall.*

Calix monophyllus, vel tubuloſus, vel campaniformis, quinquifidus, quaſi bilabiatus; corolla tubo breui inſtructa, limbo vnilabiato, labium enim inferius duo ſegmenta lateralia erecta habet, *quae ad labium ſuperius refert Linnaeus*, aliae binae laciniae laterales, magis decliues ſunt et media, quae vtplurimum excauata eſt; ſtamina nullo labio ſuperiori tecta, ſed ad longam corollae inciſuram cum ſtylo aſcendunt; ſemina quatuor, ſubrotunda.

TEVCRIVM. *Tourn. Rai. et Boerh. planta elatior, quaſi fruticoſa, calix campanulatus.*

CHAMAEDRYS. *Rai. et Boerh. planta humilior, herbacea, folia quercinis quodammodo ſimilia, calix tubuloſus.*

IVA. *Riv.* et *Dill. flores ex alis foliorum, tres vel plures, calix inferius gibbus.*

SCORDIVM. *Rai. et Boerh. flos vnus vel alter ex alis foliorum, odor allii.*

SCORODONIA. *Rai. et Riv. flores ſpicati, in vnum*

vnum latus reclinati, folia Saluiae quodammodo ſimilia.

MARVM. *Boerh.* PSEVDO-MARVM. *Riv. habitus fruticoſus, folia Serpilli, odor in vna ſpecie acer, volatilis.*

CHAMAEDRYS. *Tourn. haec quinque genera coniungit.*

POLIVM. *Tourn. folia interdum incana, flores in capitula digeſti.*

AIVGA. *Riv. Polio omnino ſimilis.*

191. BVGVLA. *Hall.* AIVGA. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, vix bilabiatus; corolla tubuloſa, limbo vnilabiato, labio nimirum inferiore tripartito, lacinia media emarginata, vt ferme quadripartitum appareat; ſtamina nullo labio ſuperiori tecta, cuius loco vtplurimum aliquot denticuli; ſemina oblonga vel ſubrotunda, quatuor, calice perſiſtente comprehenſa.

BVGVLA. *Tourn. folia obtuſa, crenata; planta flabella vtplurimum emittens; flores plures, ad alas foliorum denſius ſpicati.*

CHAMAEPITYS. *Tourn. folia anguſta, trifida; odor plantae reſinoſus; flores pauciores ad alas, ob corollae conuenientiam coniunguntur.*

192. LAMIVM. *Tourn.* GALEOPSIS. *Riv.*

Calix monophyllus, in ſetas quinque deſinens, vix bilabiatus apparens; corolla tubuloſa, ſuperius amplior, lateraliter compreſſa, labium ſuperius cauum, inferius bifidum, cordiforme, annexis ſuperius duobus ſegmentis lateralibus

 minutis,

minutis, *quam ob rem barba quadrifida Rivino dicitur;* ſemina quatuor, triangularia.

193. GALEOPSIS. *Linn.*

Calix monophyllus, campaniformis, vix bilabiatus, ſetis quinque acutis dentatus; corolla tubo breuiori inſtructa, labium ſuperius concauum, ſerratum, inferius tripartitum, lacinia media latiore, ſerrata; ſemina quatuor, anguloſa.

CANNABIS SPVRIA. *Riv. et Rai.* CANNABINA. *Boerh.* CANNABINASTRVM. *Heiſt.* ACALYPHA. *Sieg. nec non.*

LADANVM. *Riv.* TETRAHIT. *Dill. huc referantur.*

194. STACHYS. *Linn.*

Calix monophyllus, anguloſus, bilabiatus, quinque denticulis notatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, vel leuiter emarginato, inferiori trifido, lacinia media maxima, leuiter emarginata; ſemina quatuor, ſubrotunda.

Stachydes galea quodammodo concaua ad Galeopſidem refert Tournefortius.

195. PRASIVM. *Linn.*

Calix monophyllus, campanulatus, bilabiatus, labio ſuperiore latiore, ſemitrifido, inferiori bipartito, corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori erecto, concauo, vix emarginato, labio inferiori tripartito, lacinia media maiore; ſemina quatuor, pulpoſa et baccis ſimilia.

Ad Galeopſidem reduxit Tourn. a qua ſolo ſemine pulpoſo differt.

196. PHLOMIS. *Tourn.*

Calix pentagonus, tubuloſus, quinquedentatus;

tatus; corolla tuboloſa, labium ſuperius concavum, in labium inferius inflexum, quod trifidum eſt, lacinia media ampliore, leuiter emarginata; ſemina quatuor, oblonga, triquetra.

197. ORVALA. *Linn.* PAPIA. *Mich.*
Flores in verticillis; calix monophyllus, ſemiquinquifidus, ſegmentis acutis, quaſi bilabiatis; corolla tubuloſa, breui tubo, bilabiata, labio ſuperiori falcato, longo, multidentato, inferiori tripartito, laciniae laterales ſurgunt verſus labium ſuperius et ſunt oblongae, apice tridentato, lacinia media lunulata eſt cum acumine; ſemina ouata, quatuor.

198. LEONVRVS. *Tourn.*
Flores in verticillos denſiſſimos congeſti; calix tubuloſus, ſuperius dentatus; corolla tubo longiori praedita, labium ſuperius longius, integrum, concauum, labium inferius tripartitum, breue; ſemina quatuor, anguloſa.

199. CARDIACA. *Tourn.*
Flores in verticillis denſis; calix breuis, bilabiatus, quinque aculeis prominentibus donatus; corolla tubuloſa, labio ſuperiori integro, concavo, inferiori tripartito, laciniis acutis; ſemina quatuor, anguloſa cauum calicis replent.

LEONVRVS. *Linn. haec bina genera coniungit, et* GALEOBDOLON. *Dill. quod Tourn. ad Galeopſides retulit, ob lacinias labii inferioris acutas, addit.*

200. DRACOCEPHALON. *Riv.*
Flores in verticillis rarioribus, calix tuboloſus, quinquedentatus, vix bilabiatus; corolla inferius

ferius tubuloſa, ſuperius ampla, guloſa, labium ſuperius vix emarginatum, concauum, inferius trifidum, lacinia media leuiter emarginata; ſemina quatuor, oblonga, anguloſa.

Quaedam ſpecies Moldauicae Tourn. huc referri poſſent, in primis VOLCKAMMERIA. *Heiſt. quae foliis ternatis eſt.*

DRACOCEPHALVM. *Linn. et hoc genus et Moldauicam complectitur.*

201. BRVNELLA. *Tourn.* PRVNELLA. *Rai.*

Calix monophyllus, bilabiatus, labio ſuperiori lato, truncato, leuiter trifido, inferiori bifido, acuto; corolla tubuloſa, ſuperius ventricoſa; labio ſuperiori integro, leuiter emarginato, inferiori trifido, lacinia media non nihil latiore, quaſi fimbriata; ſemina quatuor, ſubrotunda.

202. CASSIDA. *Tourn.* SCVTELLARIA. *Riv. et Linn.*

Calix breuis, tubuloſus, margine aequali, loco labii ſuperioris adhaeret operculum, membrana ſurſum reflexa auctum, integrum; corolla tubuloſa, tubus longus, ſurſum flexus, bilabiatus, labio ſuperiori integro, concauo, non nihil emarginato, inferiori trifido, binae tamen laterales laciniae, a latere tubi poſitae, quodammodo ſurſum flexae, acutae, lacinia media deorſum pendens, late emarginata; ſemina quatuor, ſubrotunda, operculo, poſt corollam excuſſam tubum calicis claudente, tecta et quaſi in capſula contenta.

203. BETONICA.

Calix monophyllus, quinquedentatus, vix bila-

bilabiatus; corolla tubuloſa, labio ſuperiori integro, inferiori trifido; ſemina quatuor.

Habitus plantae flores in verticillos denſos, ſuperius in ſpicas denſas compactas digeſtas, oſtendit, et characterem quendam, licet obſcurum, huius generis, in quo BETONICA. *et* SIDERITIS. *Tourn. coniunguntur, exhibet; fateor tamen eandem maxime ad Stachydis genus accedere. Labium enim ſuperius vel integrum, vel emarginatum, vel diuiſum, vndulatum, vel rectum, lacinia media labii inferioris vel integra, vel emarginata, vel diuiſa, tubus rectus vel incuruus, et quae ab auctoribus adducuntur ſigna, vix certo diſtinguunt ſpecies ad hoc genus referendas.*

204. BALLOTE. *Tourn.* BALLOTTA. *Linn.* MARRVBIASTRVM. *Riv.*

Flores multi in vno communi pedunculo collecti, qui ex alis foliorum progreditur, et in vnum latus vergit; calix tubuloſus, pentagonus, quinquedentatus, vix bilabiatus; corolla tubuloſa, labio ſuperiori integro, vix emarginato, inferiori trifido, ſegmentis leuiter emarginatis; ſemina quatuor, oblonga.

205. CATARIA. *Tourn.* NEPETA. *Riu. et Linn.*

Calix monophyllus, tubuloſus, quinquedentatus, denticulis tribus labii ſuperioris erectis, binis labii inferioris deflexis; corolla tubuloſa, incuruata, limbus bilabiatus, labio ſuperiori erecto, plano, emarginato, inferiori tripartito, laciniis lateralibus ſurſum inflexis, media lata, concaua, ſerrata; ſemina quatuor, oblonga.

206. CV-

206. CVNILA. *Linn.* MARRVBIASTRVM. *Tourn.*

Flores in verticillis denſis; calix monophyllus, rigidus, bilabiatus, ſegmentis quinque ſpinoſis; corolla quadrifida, ferme regularis, labio ſuperiori non nihil latiore, vix emarginato; ſemina parua, quatuor.

207. TRICHOSTEMA. *Linn.*

Calix monophyllus, bilabiatus, ſegmentis acutis, labio ſuperiori maiori, trifido, inferiori diuiſo; corolla tubuloſa, tubo breui, bilabiata, labio ſuperiori falcato, integro, inferiori trifido, lacinia media minore; filamenta ſtaminum longiſſima; ſemen ſubrotundum.

208. PVLEGIVM. *Riv.*

Odor plantae ſuauis, balſamicus: flores in verticillis denſis, rotundioribus, minus diſtantibus; calix tubuloſus, quinquifidus, non raro quadrifidus; corolla tubuloſa, limbo ferme regulari, media tamen labii inferioris lacinia paullo latior eſt; ſemina quatuor, parua.

Ad Mentham retulit Linnaeus labium ſuperius vero in Pulegio minus emarginatum eſt.

209. SATVREIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ſtriatus, erectus, quinquedentatus, vix bilabiatus; corolla tubuloſa, labio ſuperiori acute emarginato, inferiori trifido, lacinia media latiore; ſemina quatuor, ſubrotunda.

Huc itaque referantur:

SATVREIA. *Tourn. et Riv. flores, ex vno pedunculo, ex ala foliorum orto, non ramoſo, ſparſi.*

THYM-

THYMBRA. *Tourn. flores in verticillis denſis, vt in Thymo.*

210. THYMVS. *Linn.*

Calix monophyllus, bilabiatus, labio ſuperiori integro, tridentato, inferiori bifido, ſegmentis acutis; corolla tubuloſa, labio ſuperiori non nihil emarginato; inferiori trifido, lacinia media quodammodo latiore; ſemina quatuor, ſubrotunda.

Sequentia genera huc referantur:

THYMVS. *Tourn. folia breuia, anguſta, rigida; caules lignoſi, parui, erecti; floſculi in capitula collecti, verticillo inferiori remotius a capitulo haerente.*

SERPILLVM. *Tourn. folia Thymi latiora; caules repentes, minus lignoſi et duri.*

ACINOS. *Riv. et Dill. Calix tubo longiore, ventricoſo praeditus; flores ex alis foliorum rariores.*

MASTICHINA. *Boerh.* MARVM. *Riv. Flores in verticillis denſis; ſegmenta calicis longa, anguſta, lanuginoſa.*

211. MOLVCCA. *Tourn.* MOLVCCELLA. *Linn.*

Calix campanulatus, amplus, patulus, incurvus, limbo irregulari, vel dentato, vel ſpinoſo; corolla tubuloſa, limbo vix eminente, bilabiato, labio ſuperiori integro, concauo, inferiori trifido, lacinia media ampla, profundius emarginata; ſemina quatuor, anguloſa, ſuperius truncata.

212. MARRVBIVM. *Tourn.*

Folia rugoſa; verticilli denſi; calix tubulatus, ſtriatus, dentatus, aculeis reflexis; corolla tubuloſa,

bulosa, labio ſuperiori diuiſo, erecto, plano, inferiori trifido, lacinia media non nihil emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

ALYSSVM GALENI, *quod Riv. diſtinguit, huc referatur.*

213. PSEVDO-DICTAMNVS. *Tourn.*

Radix perennis; folia rugoſa et villoſa; calix infundibuliformis, limbo expanſo, integro, dentato; corolla tubuloſa, labio ſuperiori bifido, concauo, labio inferiori trifido, lacinia media emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

MARRVBIVM. *Linn. haec bina genera coniungit.*

214. MELISSA. *Tourn.*

Flores ex vno pedunculo, non ramoſo, terni, vel quaterni, in vnum latus reflexi, ex alis foliorum; calix tubuloſus, anguloſus, bilabiatus; labio ſuperiori trifido, inferiori diuiſo; corolla tubuloſa, labio ſuperiori diuiſo, inferiori trifido, lacinia media latiore, non nihil emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

215. CALAMINTHA. *Tourn.*

Flores ex pedunculis ramoſis in alis foliorum; calix tubuloſus, oblongus, bilabiatus, labio ſuperiori trifido, inferiori diuiſo; corolla tubuloſa, labio ſuperiori diuiſo, vel emarginato, inferiori trifido, lacinia media latiore, emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

MELISSA. *Linn. haec bina genera coniungit.*

216. MELITTIS. *Linn.* MELISSOPHYLLVM. *Riv.* MELISSA. *Hall.*

Flores ex alis foliorum, in vnum latus flexi, maximi;

maximi; calix monophyllus, campanulatus, bilabiatus; labio ſuperiori emarginato, inferiore diuiſo; corolla tubo longo praedita, labio ſuperiori plano, profundius emarginato, inferiori trifido, lacinia media emarginata; ſemina quatuor, ſubrotunda.

217. MENTHA. *Tourn.*

Flores in verticillis denſis, ſaepius in ſpicam coacti; calix monophyllus, paruus, quinquedentatus, vix bilabiatus; corolla tubuloſa, labio ſuperiori non nihil diuiſo, inferiori trifido, ſemina quatuor, ſubrotunda.

MENTHASTRVM. *Riv. quod flores in ſpicas ramoſas diſponit, huc referatur.*

218. CLINOPODIVM. *Tourn.*

Flores in verticillis denſioribus, vel rarioribus, nonnunquam inuolucro multifido cinctis; calix tubuloſus, hirſutus, bilabiatus, labio ſuperiori trifido, inferiori bifido; corolla tubuloſa, labio ſuperiori fornicato, diuiſo, inferiori trifido, lacinia media latiore, emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

219. CHAMAECLEMA. *Boerh.* CHAMAECISSVS. *Rupp.* HEDERA TERRESTRIS. *Riv.* GLECHOMA. *Linn.*

Radix repens; caules in flabella diſtributi; folia ſubrotunda, crenata; flores tres, raro plures, in vno pedunculo, ex qualibet ala foliorum orto; calix tubuloſus, quinquedentatus, denticulis acutis, binis inferioribus breuioribus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, inferiori

inferiori trifido, lacinia media latiore, emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

Ad Calamintham retulit Tourn.

220. LAVANDVLA. *Linn.*

Calix monophyllus, breuis, quadri-vel quinquedentatus; corolla tubuloſa, bilabiata; labio ſuperiori diuiſo, erecto, inferiori trifido, ſegmentis aequalibus; ſemina quatuor, oblonga.

LAVENDVLA. *Tourn flores in ſpicam oblongam digeſti, bracteis minoribus interpoſitis.*

STOECHAS. *Tourn. flores in ſpicam quadrangulam digeſti, bracteis maioribus interpoſitis, foliolis coronatam.*

221. ORIGANVM. *Linn.*

Flores ex ſpicis lamellaris et imbricatis oriundi; calix varius; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, vel emarginato, inferiori trifido, ſegmento medio vix latiore; ſemina quatuor, ouata.

ORIGANVM. Tourn. flores in capitula laxiora, oblonga, ſpicis ſimilia, congeruntur; calix tubuloſus, quinquedentatus.

MAIORANA. Tourn. flores in capitula denſa, breuia, ex ordine quaterno foliolorum, ſquamatim ſibi mutuo incumbentium, confecta, diſponuntur; calix breuis, bilamellatus.

DICTAMNVS. Rai. flores in capitula laxiora, ex foliolis imbricatis maioribus conflata, diſponuntur; calix breuis, auriculatim ſciſſus, ita, vt labium ſuperius integrum emineat, labio inferiori nullo; tubus corollae guloſus.

222. VER-

222. VERBENA. *Tourn.*

Calix breuis, dentatus, denticulis quatuor ad ſex; corolla tubuloſa, quinquifida, limbo ferme regulari, ob flexum tubi quodammodo irregularis apparens; ſemina quatuor, oblonga.

SHERARDIA. *Vaill. ſpecies illas Verbenae complectitur, quae quatuor filamenta, binas antheras veras, binas imperfectas et ſemina bina obtinent; ſed hic defectus forte ab inopia ſucci in flore adeo anguſto pendet; hinc Verbenam, cui hanc addimus, ad tetrantheras potius, quam ad diantheras referendam eſſe iudicamus.*

BLAIRIA. *Houſt. et* KEMPFERA. *Houſt. a Linn. huc quoque referuntur, quae diantherae ſunt, et ſemina bina obtinent.*

223. HORMINVM. *Linn.*

Calix monophyllus, anguloſus, bilabiatus, labio ſuperiori tridentato, inferiori bifido; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito, lacinia media latiore, emarginata; ſtamina breuiora; ſemina quatuor, ſubrotunda.

224. MOLDAVICA. *Tourn.* CEDRONELLA. *Riv.*

Flores in verticillis rarioribus; calix ventricoſus, ſuperius contractus, labio ſuperiori tridentato, inferiori bidentato; corolla inferius tubuloſa, ſuperius ampla, guloſa, labium ſuperius diviſum, inferius tripartitum, lacinia media profundius diuiſa; ſemina quatuor, oblonga.

Ad Dracocephalum refert Linnaeus.

225. HYSSOPVS. *Tourn.*

Flores in verticillos denſos, inferius diſtantes, ſuperius in ſpicam congeſtos, et vnum latus reſpicientes,

ſpicientes, diſpoſiti; calix tubuloſus, acute quinquifidus, vix bilabiatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito, lacinia media late emarginata; ſemina quatuor, oblonga.

RVYSCHIANA. *Boerh.* PSEVDOCHAMAEPITYS. *Riv.* HYSSOPOIDES. *Sieg.* *quae flores ſpecioſos, ſex vt plurimum in verticillos rariores, in vnum latus reflexos, diſponit, et laciniam mediam labii inferioris corollae conuolutam oſtendit, a Linnaeo ad Hyſſopum refertur.*

226. OCIMVM. *Tourn.* BASILICVM. *Rai.*

Odor plantae ſuauis; radix vt plurimum annua; flores in ſpicas laxas, e verticillis rarioribus compoſitas, digeſti; calix tubuloſus, quadridentatus, annexo ſuperius foliolo rotundiore, quaſi ſcuto, vt plurimum integro; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori ſurrecto, ſubrotundo, quadrifido, labio inferiori integro, non nihil criſpo; ſtamina et ſtylus verſus labium inferius deflexa; ſemina quatuor, oblonga.

b) Fructu angioſpermo.

227. SQVAMARIA. *Riv.* DENTARIA APHYLLOS. *Rai.* ANBLATVM. *Tourn.*

Radix ſquamoſa; flores in ſpica homomalla, foliolis ad exortum florum poſitis, coloratis; calix monophyllus, ſemiquadrifidus; corolla bilabiata, tubus et limbus compreſſus, labium ſuperius integrum, erectum, inferius vix trifidum, magis criſpum; ſtigma capitatum; glandula nectarifera ante ouarium poſita; capſula oblongo-acuminata, vniloculaſis, multis ſeminibus foeta.

228. LIP-

228. LIPPIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ſubrotundus, latus, margine vtrinque auctus; corolla ventricoſa, limbo quadrifido, labio ſuperiori integro, inferiori tripartito, lacinia media maiore; capſula compreſſa, calice tecta, vnilocularis, biualuis; ſemina bina, coalita.

229. CLANDESTINA. *Tourn.* LATHRAEA. *Linn.*

Calix monophyllus, quadrifidus; corolla tubuloſa, bilabiata, tubo ſenſim ampliato, labio ſuperiori concauo, integro, apice adunco, labio inferiori trifido, minore; ſtigma deflexum, truncatum; glandula nectarifera ante ouarium poſita; capſula ſubrotunda, acuminata, vnilocularis, biualuis; ſemina pauca, oblonga.

230. BARLERIA. *Plum. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis anguſtis, acutis; corolla tubuloſa, ſuperius ventricoſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, emarginato, inferiori tripartito, lacinia media maiore, emarginata; capſula oblonga, quadragona, vnilocularis; ſemina plura, orbiculata, imbricata.

231. OROBANCHE. *Tourn.*

Radix ſquamoſa; habitus aphyllos; flores in ſpica homomalla; calix monophyllus, ſemi-quadri-vel quinquifidus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, leuiter emarginato, inferiori trifido, laciniis aequalibus; capſula oblongo-acuminata, vnilocularis, biualuis; ſemina tenuiſſima.

232. PHELYPAEA. *Tourn.*

Calix tubuloſus, ſemibifidus; corolla bilabiata,

tubo breuiſſimo, labio ſuperiori bipartito, inferiori tripartito, lacinia media maiore; ſtigma capitatum; capſula oblonga, vnilocularis; ſemina plurima.

233. TOZZIA. *Mich. et Linn.*

Radix inferius fibroſa, ſuperius ſquamoſa; calix monophyllus, tubuloſus, quinquedentatus, perſiſtens; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito; capſula oblonga, vnilocularis, biualuis, ſemine oblongo foeta.

234. CYMBARIA. *Amm. et Linn.*

Calix tubuloſus, multifidus, corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito, vtrisque reflexis; capſula eſt oblonga, vnilocularis, biualuis, valuis cymbae ſimilibus, in qua ſemina plura, parua, anguloſa.

235. RVELLIA. *Plum. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, laciniis anguſtis, acutis; corolla tubuloſo-ventricoſa, limbo quinquifido, bilabiato; labio ſuperiori diuiſo, erecto, latiore, inferiori trifido; capſula oblonga, vnilocularis, ſiue ſemibilocularis; ſemina ſubrotunda, compreſſa.

236. HEBENSTREITIA. *Linn.*

Calix tubuloſus, in duo ſegmenta diuiſus; corolla tubuloſa, limbo quadrifido, vnilabiato, ſurſum flexo; capſula oblonga, vnilocularis, bina ſemina continens.

Ad Valerianellam retulit Commelinus in H. Amſt.

237. BROWALLIA. *Linn.*

Calix monophyllus, tubuloſus, quinquedentatus;

tatus;

tatus; corolla infundibuliformis, limbo irregulariter quinquifido, plano; capſula oblonga, vnilocularis, quadrifariam dehiſcens; ſemina parua.

238. LIMOSELLA. *Linn.* PLANTAGINELLA. *Dill.*

Planta puſilla; folia Plantagini quodammodo ſimilia; flores, in cauliculis aphyllis, ſolitarii; calix monophyllus, quinquifidus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido; capſula oblonga, rotunda, biualuis, vnilocularis; ſemina parva, numeroſa.

239. ACANTHVS. *Tourn.*

Radix viuax: folia radicalia ſinuata, lata, interdum ſpinoſa; calix exterior trifolius, foliolis binis lateralibus anguſtis, medio magno, cauo, propendente et quaſi fornicato, calix alter interior bifolius, bilabiatus, labio ſuperiori cauo, longiori, labio inferiori breuiore; corolla tubum breuiſſimum, annulo ſimilem, habet, et labium tantum inferius amplum, tripartitum emittit; capſula oblonga, acuminata, bilocularis, in quolibet loculo ſemen carnoſum, gibbum continet.

240. CHELONE. *Tourn. et Linn.*

Calix monophyllus, breuis, quinquifidus; corolla tubuloſa, bilabiata, tubo tenui, in fornicem gibbum ſuperius expanſo, qui teſtudinis teſtam refert; labium ſuperius obtuſum, emarginatum, inferius breue, tridentatum. filamentum quintum ſine anthera; capſula oblongo-bilocularis; ſemina parua, margine cincta.

241. PEDICVLARIS. *Riv. Linn. et Hall.* ALECTOROLOPHVS. *Sieg.*

Calix monophyllus, quinquifidus, laciniis

 non-

nonnunquam crenatis; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, vel obtuſo, vel apice aucto, inferiori tripartito; capſula oblonga, compreſſa, bilocularis; ſemina anguloſa.

242. ALECTOROLOPHVS. *Hall.* CRISTA GALLI. *Riv.*

Calix monophyllus, inflatus, compreſſus, quadridentatus; corolla tuboloſa, bilabiata, labio ſuperiori emarginato, inferiori ſemitrifido; capſula orbiculata, compreſſa, bilocularis; ſemina compreſſa, alata.

PEDICVLARIS. *Tourn. haec bina genera coniungit.*

243. BARTSIA. *Linn.* STAEHELINA. *Hall.*

Calix monophyllus, tubuloſus, quadridentatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, leuiter emarginato, inferiori breui, trifido, reflexo: filamenta ſub antheris piloſa; capſula ouato-acuminata, compreſſa, biualuis, bilocularis, ſemina parua, angulata.

244. MELAMPYRVM. *Tourn.*

Flores in verticillis rarioribus, in vnum latus reflexis, in ſpica, ſuperius coma coronata, poſiti; calix tubuloſus, ſemiquadrifidus, vel quinquifidus, ſegmentis tenuiſſimis erectis; corolla tubuloſa, bilabiata, tubo ſenſim ampliato, labio ſuperiori cauo, non nihil emarginato, inferiori ſemitrifido, duplici tumore inſigni; antherae quodammodo coalitae, potiſſimum binae vnius lateris; capſula oblonga, compreſſa, bilocularis, biualuis; ſemina quatuor, tritici ſeminibus ferme ſimilia.

245. ODON-

245. ODONTITES. *Riv.* CRATAEOGONON. *Rai.*

Calix tuluſus, quadrifidus, ſegmentis acutis, fere aequalibus; corolla tuluſa, bilabiata, labio ſuperiori leuiter inciſo, inferiori tripartito, laciniis non inciſis, media maiore; capſula oblonga, compreſſa, bilocularis; ſemina exigua.

Ad Euphraſiam reduxit Linnaeus.

246. ELEPHAS. *Tourn.*

Calix monophyllus, trifidus, bilabiatus; labio ſuperiori emarginato, inferiori diuiſo; corolla tubuloſo-ventricoſa, tubo breui, bilabiata, labio ſuperiori tenui, vel erecto, vel incuruo, proboſcidem elephantinam referente, inferiori lato, trifido, ſegmentis diuerſae proportionis in diuerſis ſpeciebus; capſula ſubrotunda, bilocularis; ſemina oblonga.

RHINANTHVS. *Linn. Alectorolophum Hall. et Elephantem Tourn. complectitur.*

247. ANTIRRHINVM. *Linn.*

Calix profunde quinquifidus, irregularis; corolla tubuloſo-ventricoſa, calcare plus minus euidenti praedita, bilabiata, labio ſuperiori diviſo, reflexo, inferiori tripartito, duplici tumore inſigni, vtrisque conniuentibus: capſula bilocularis; ſemina parua.

Genera ſequentia itaque huc reducantur:

ANTIRRHINVM. *Tourn. calcar breue, obtuſum; capſula oblonga, baſi obliqua, ex tribus foraminibus apicis ſemina emittens.*

ASARINA. *Tourn. calcar nullum; capſula ſubrotunda, ex binis foraminibus ſemina emittit.*

LINARIA. *Tourn. calcar longum; fructus*

 oblongus

oblongus, diuerſimode dehiſcens in ſummitate; ſemina compreſſa, vel angulata.

ELATINE. *Riv. calcar longum; capſula binis lamellis lateraliter dehiſcens, baſi integra.*

CYMBALARIA. *Riv. a Linaria vix differt; caulis reptans, radices nouas emittens.*

248. EVPHRASIA. *Riv.*

Calix tubuloſus, quadrifidus, ſegmentis erectis, vix inaequalibus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, inferiori tripartito, laciniis omnibus emarginatis; capſula oblonga, bilocularis, ſeminibus exiguis foeta.

249. DIGITALIS. *Tourn.*

Flores in ſpica homomalla; calix monophyllus, profunde quinquifidus, ſegmentis inaequalibus; corolla tubuloſa, bilabiata, tubus inferius anguſtus, inſigniter ampliatus, limbo, plus minuſue in labium ſuperius bifidum et inferius tripartitum, diuiſo; capſula ſubrotunda, acuminata; ſemina exigua.

250. DIODIA. *Linn.*

Calix ouario impoſitus, diphyllus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiore diuiſo, erecto, inferiori trifido, patente; capſula calice perſiſtente coronata, oblonga, bilocularis; ſemina ſolitaria, oblonga.

251. DODARTIA. *Tourn.*

Calix monophyllus, minor, quinquifidus, vix bilabiatus; corolla tubuloſa, bilabiata, tubo longo, labio ſuperiori bifido, erecto, inferiori trifido, lacinia media minore; capſula globoſa, bilocularis; ſemina parua.

252. SCRO-

252. SCROPHVLARIA. *Tourn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis ſubrotundis; corolla tubuloſo-ventricoſa, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, inferiori trifido; capſula ſubrotunda, acuminata, bilocularis; ſemina exigua.

253. GERARDIA. *Plum. et Linn.*

Calix tubuloſus, quinquifidus, fere bilabiatus; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, quaſi bilabiato, labio ſuperiori maximo, late emarginato, inferiori quadripartito, laciniis lateralibus latioribus, emarginatis, inferioribus minoribus; capſula oblonga, bilocularis, biualuis, valuis baſi dehiſcentibus; ſemina ouata, ſolitaria.

254. VOLKAMERIA. *Linn.* DVGLASSIA. *Houſt.*

Calix monophyllus, minimus, ore dentato; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, irregulari, laciniis in vnum, ſtaminibus in alterum latus reflexis; capſula ſubrotunda, bilocularis, continet nucem ſolitariam, bilocularem.

255. CELSIA. *Linn.* THRYALLIS. *Sieg.*

Calix monophyllus, quinquifidus, laciniis acutis; corolla rotata, tubo breuisſimo, limbo irregulariter quinquifido; capſula ſubrotunda, acuminata, bilocularis; ſemina parua, anguloſa.

256. OBVLARIA. *Linn.*

Calix nullus; corolla tubuloſo-ventricoſa, limbo quadripartito, inaequaliter laciniato; capſula oblonga, compreſſa, bilocularis, biualuis, diſſepimento oppoſito; ſemina minutiſſima.

257. GESNERA. *Plum.*

Calix ouarium arcte cingens, quinquifidus, ſegmentis acutis: corolla tubuloſo-ventricoſa, incuruata; limbo breui, irregulariter quinquifido, ſegmentis ſubrotundis; capſula bilocularis; ſemina multa, exigua.

GESNERIA. *Linn. et hanc et Digitalis ſpeciem complectitur.*

258. ERINVS. *Linn.* AGERATVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus; corolla tubuloſa, vix bilabiata, limbo quinquifido, obliquo; ſtamina in tubo latent, *an interdum quina?* capſula ouata, bilocularis; ſemina exigua.

259. LOESELIA. *Linn.* ROYENIA. *Houſt.*

Calix monophyllus, breuis, quadrifidus; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, laciniis in vnum latus, ſtaminibus in oppoſitum reflexis; capſula oblonga, trilocularis; ſemina anguloſa.

260. MARTYNIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ouarium arcte cingens, quinquifidus, fere bilabiatus; corolla campanulata, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, inferiori trifido, lacinia media productiore; capſula oblonga, quadrangularis, bifariam dehiſcens; ſemina quatuor, oblonga, in receptaculo duro, quadriloculari contenta.

261. SESAMVM. *Riv. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, inaequalis, minimus: corolla tubuloſo-ventricoſa, limbo quinquifido, quaſi bilabiato, labio ſuperiori diviſo,

viſo, inferiori tripartito, lacinia media productiore; ſtigma bilamellatum; capſula oblonga, acuminata, quadrilocularis; ſemina ſubrotunda, compreſſa.

262. VITEX. *Tourn.*

Folia digitata; calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis latis, acutis, breuibus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori reflexo, latiore, emarginato, inferiori ſemitrifido; fructus eſt bacca oblonga; nux vnilocularis.

263. BESLERIA. *Plum. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis amplis, laxis, acuminatis; corolla tubuloſa, limbo patente, quinquifido, bilabiato, labio ſuperiori bifido, inferiori trifido, lacinia media maiore; bacca globoſa, vnilocularis; ſemina rotunda, minima.

264. CLERODENDRVM. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquepartitus; corolla tubuloſa, tubo tenui, limbo quinquifido, ferme bilabiato, labio ſuperiori diuiſo, inferiori tripartito; fructus eſt bacca vnilocularis, vno vel altero ſemine foeta.

265. LANTANA. *Linn.* CAMARA. *Plum. et Dill.* CAMARTINGA. *Piſ.* MYROBATINDVM. *Vaill.* PSEVDO-VIBVRNVM. *Riv.*

Flores vel in capitulis vmbellatis, vel ex alis foliorum; calix paruus, monophyllus, vix dentatus; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, ferme aequali; ſtigma vncinatum; bacca ſubrotunda, vnilocularis, nucem bilocularem continet; ſemina oblonga.

CHAMAEIASME. *Amm. forte huc referri poſſet.*

266.

266. CORNVTIA. *Plum. et Linn.*
AGNANTHVS. *Vaill.*

Calix monophyllus, campaniformis, margine dentato; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori tripartito, laciniis aequalibus, inferiori tripartito, lacinia media magna, lateralibus minimis; ſtigma globoſum; bacca globoſa, monopyrena.

267. CRESCENTIA. *Linn.* CVIETE *Plum.*

Calix monophyllus, bipartitus, deciduus, ſegmentis obtuſis, concauis; corolla tubuloſo-ventricoſa, tubo gibbo, limbo inaequali, multifido; bacca oblonga, vnilocularis, nuces cordatae, biloculares.

268. COLVMNEA. *Plum. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis acutis; corolla tubuloſa, parum ventricoſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, concauo, inferiori trifido, laciniis acutis; bacca globoſa, bilocularis, calici perſiſtenti inſidens, ſemina multa, oblonga.

269. HALLERIA. *Linn.*

Calix monophyllus, tripartitus, lacinia ſuperiori latiore, corolla tubuloſo-ventricoſa, inflexa, labio ſuperiori longiore, non nihil emarginato, labio inferiori tripartito, lacinia media minima; bacca ſubrotunda, bilocularis; ſemina ſolitaria.

V. PEN-

V. PENTANTHERAE.

MONOSTYLAE.

270. ECHIVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus, ſegmentis acutis, irregularibus; corolla tubuloſo-campaniformis, limbo erecto, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, inferiori trifido; ſemina quatuor, aſpera, oblonga, acuminata.

271. CORIS. *Tourn.*

Calix tubuloſus, limbo denticulato, denticulis quinque alternis, reflexis, quinque erectis; corolla tubuloſa, vix bilabiata, quinquifida, binis ſuperioribus minoribus, tribus inferioribus aequalibus, omnibus emarginatis, capſula globoſa, vniloculatis, quinqueualuis; ſemina ſubrotunda.

272. LOBELIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ouarium cingens, quinquifidus, ſegmentis ferme aequalibus, ouatis; corolla tubuloſa, ſaepius poſterius ad baſin vsque ſciſſa; limbus quinquifidus, diuerſimode irregularis; ſtamina antheris diuerſimode adhaerentia; ſtigma varium; fructus diuerſus.

Sub hoc genere diuerſa alia complectitur Linnaeus quae antherarum cohaeſione potiſſimum conueniunt, et quae nos, licet in diuerſis locis deſcribenda erant, hic coniunximus, in primis, quum in paucis examen in recenti planta inſtituere potuerimus.

LOBELIA. Plum. calix diphyllus ſub ouario, ouarium ſphaericum, ex quo corolla verticaliter ſemitubuloſa ſurgit, limbus quinquifidus, antrorſum inclinatus; ſtamina incerta; ſtylus ſimplex, ſtigma

ſtigma globoſum; fructus eſt bacca oblonga, vnico oſſiculo ſcabro foeta, quod vnicum ſemen continet.

RAPVNTIVM. Tourn. CARDINALIS. *Riv.* RAPVNCVLVS GALEATVS. *Rai. calix ouarium cingens, quinquifidus, ſegmentis acutis; corolla tubuloſa, plus minus ventricoſa, poſterius longitudinaliter ad baſin diuiſa, limbus quinquifidus, antrorſum inclinatus; filamenta ſuperius coalita, antherae in cylindrum coalitae; ſtylus apice incurvo, bidentato; capſula trigona, trilocularis, ſemina exigua continet.*

DORTMANNA. *Rudb. huc pertinere videtur.*

LAVRENTIA. Mich. calix ouarium cingens, minor, quinquedentatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori diuiſo, inferiori tripartito; ſtaminum filamenta inferius diſtincta, ſuperius in tubum coalita, antherae baſi coalitae; ſtylus ſtigmate diuiſo gaudet; fructus bilocularis; ſemina exigua.

273. DIERVILLA. *Tourn.*

Calix inferior ſub ouario, bifolius, calix alter ouarium arcte cingens, quinquifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, limbo vix bilabiato, labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito; capſula pyramidalis, bilocularis; ſemina parua.

274. VERBASCVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, fere bilabiatus, ſegmentis paruis, acutis; corolla rotata, tubus breuiſſimus, limbus quinquifidus, laciniis inaequalibus; ſtylus et ſaepe ſtamina deorſum inclinata; fructus oblongus, acuminatus, bilocularis; ſemina exigua.

BLAT-

BLATTARIA. *Tourn. quae capſula ſubrotunda differt, a Linnaeo optime ad praecedens genus refertur.*

275. HYOSCYAMVS. *Tourn.*

Calix monophyllus, campaniformis, amplus, inferius ventricoſus, ſuperius quinquifidus; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, laciniis vel inaequalibus, vel irregulariter poſitis; fructus oblongus, obtuſus, bilocularis, operculo horizontaliter diſſiliente; ſemina anguloſa, vel reniformia.

276. RAPVNCVLVS. *Tourn.* PHYTEVMA. *Linn.* ALOPECVRVS. *Sieg.*

Flores in ſpicam denſam coacti; calix ouarium arcte cingens, ſegmentis acutis; corolla tubuloſo-corniculata, laciniis quinque baſi coalitis in ſpeciem tubi, limbo prius in cornu coalito, poſtea fiſſo et reflexo; ſtamina filamentis tenuibus, ex vnguibus triangularibus, elaſticis, oriuntur; ſtigma in ſtylo ſimplici bifidum, vel trifidum; capſula bilocularis in quibusdam, in aliis trilocularis, ſemina exigua continet.

IASIONE. Linn. flores in capitulum coacti, calice communi decaphyllo, proprio, vt in praecedenti; laciniae corollae breuiores, in cornu non connexae, fructus vt plurimum trilocularis. Ad Rapunculum forte referri poſſet.

277. LONICERA. *Plum.*

Calix ouarium cingens, margine integerrimo; corolla tubuloſa, profunde diuiſa, ferme ad baſin tubi, ſegmenta anguſta, ſitu ad minimum inaequalia; fructus eſt bacca monopyrena; ſemen ſubrotundum, compreſſum.

278. CAPRI-

278. CAPRIFOLIVM. *Tourn.*

Planta ſcandens; flores in ſummitate et in alis foliorum coaceruati; calix ouarium arcte cingens, quinquedentatus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori ſemiquadriſido, inferiori integro; fructus eſt bacca monopyrena; ſemen ſubrotundum, compreſſum.

279. CHAMAECERASVS. *Tourn.*

Planta non ſcandens; flores bini, minores, in vno pedunculo ex alis foliorum, reliqua Caprifolii.

280. PERICLYMENVM. *Tourn.*

Limbus tubi corollae vix bilabiatus, fere regularis, reliqua Caprifolii.

281. XYLOSTEVM. *Tourn.*

Limbus tubi corollae Periclymeno ſimilis, reliqua Chamaeceraſi.

Haec quatuor genera Tourn. Lonicerae Plumerii optime apponi poſſent, ſed LONICERA. *Linn. quae Trioſteoſpermum Dill. et Symphoricarpos Dill. ſimul complectitur, vix aſſumi poteſt, cum non inueniatur character eſſentialis ſingularis, cuius ductu, plantae adeo diuerſae, ſub vno genere comprehendi poſſent.*

282. TRIOSTEOSPERMVM. *Dill.*

Folia coniugata; flores in alis foliorum; calix ouarium arcte cingens, ſuperius quinquifidus, ſegmentis magnis, profundis; corolla tubuloſa, limbo quinquifido, fere bilabiato, ſegmentis ſubrotundis, erectis: fructus eſt bacca coriacea, trilocularis; ſemina oſſea, ſulcata, fere triquetra.

Ad Loniceram retulit Linnaeus.

VI. HEXAN-

VI. HEXANTHERAE.

MONOSTYLAE.

283. ARISTOLOCHIA. *Tourn.*

Folia alterna; flos apici ouarii innatus; calix nullus; corolla tuboloſa, baſi ventricoſa, limbo ſimplici, in linguae formam extenſo, in fundo floris antherae ſex, forte duodecim, circumcreſcunt, ſtylo in ſtigma ſtellatum terminato; fructus ouatus, ſexlocularis; ſemina compreſſa.

PISTIA. *Linn.* KODDAPAIL. *Plum. ad Ariſtolochiam referri poteſt, licet limbus corollae figura quodammodo diuerſus ſit et piſtillum in fructum oblongum mutetur.*

284. PONTEDERIA. *Linn.* MICHELIA. *Houſt.*

Spatha oblonga, latere dehiſcens; corolla tubuloſa, ouario inſiſtens, bilabiata, labio ſuperiori erecto, trifido, inferiori deflexo, tripartito; bacca ouata, triangularis, trilocularis; ſemina ſubrotunda, plurima.

VII. OCTANTHERA.

MONOSTYLA.

285. HEISTERIA. *Linn.*

Calix monophyllus, profunde multifidus, in ſegmenta anguſta; corolla profunde diuiſa in bina labia, quorum ſuperius erectum, ſemibifidum, inferius deflexum, bipartitum, fauce nectarifera in labio inferiore prominente; capſula ſubrotunda, compreſſa, bilocularis, diſſepimento valuis contrario; ſemina ſolitaria.

VIII. POLYANTHERA.

MONOSTYLA.

286. AMORPHA. *Linn.*

Folia pinnata, extremo impari; flores in ſpicis; calix tubulatus, quinquedentatus, irregularis; petalum vnicum, vexillo plantae papilionaceae ſimile; ſtamina decem, longiſſima, filamentis in baſi coalitis; legumen lunulatum, compreſſum; ſemina reniformia.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CLASSIS III.

Plantae flore perfecto, monopetalo, compoſito, tubuloſo.

Plantae flore compoſito, quae in hac et ſequentibus claſſibus IV et V proponuntur, ſunt floſculi monopetali plures, calice communi comprehenſi; reliquas enim plantas, quae floſculos plurium petalorum calice communi complectuntur, ad reliquas claſſes reduximus.

Claſſis I floſculos tubuloſos, qui ex tubo corollae limbum varie diuiſum emittunt, complectitur, et exhibet

1) Floſculos ſtaminibus diſtinctis, et

2) Floſculos, ſtaminibus quinque in antheram cylindraceam coalitis, praeditos.

Claſſis II floſculos lingulatos, qui ex tubo breui et tenui limbum, in vnum latus protenſum, linguae adinſtar, emittunt, continet.

Claſſis III floſculos mixtos, tum tubuloſos, tum lingulatos, nec non tubuloſos ex perfectis et neutris complectitur.

Has

Has igitur tres claſſes ex corollularum differentia cum Riuino, Tourneſortio et aliis diſpoſuimus. Diuerſae diſpoſitiones methodicae auctorum euoluantur in Linnaei claſſibus plantarum.

Stamina in his, praeter Claſſ. I n. I, quinque filamenta oſtendunt, quae antheram cylindraceam, ex quinque lamellis quaſi coalitam, ſuſtinent, hinc ſyngeneſia conſtituit Linnaeus.

Ouulum in ſingulo floſculo ſub corolla haeret, et ſtylum emittit, ſaepius ſtigmate duplici inſtructum, qui per corollulam et antheram cylindraceam aſcendit.

Omnia ouula affiguntur thalamo, vel nudo, vel paleaceo, vel villoſo; hinc primariam ordinis rationem deſumſimus.

Semina in ſummitate, vbi corollam ſuſcipiunt, ſunt vel nuda, vel denticulata, vel caliculo coronata, vel paleacea, vel papposa, hinc alteram ordinis rationem deſumſimus.

Omnia vero comprehenduntur calice communi, qui vel ſimplex eſt baſi nuda, vel baſi ſquamulis cincta, vel imbricatus; hinc tertiam ordinis rationem deſumſimus.

I) Floſculi ſtaminibus quatuor diſtinctis praediti.

287. DIPSACVS. *Tourn.*

Calix polyphyllus, foliolis oblongis, anguſtis, ſpinoſis: thalamus conicus, oblongus, foliolis rigidis, floſculos ſuperantibus, obſitus, ex quibus ouula oriuntur, corona foliacea quadrangula ornata: his inſiſtit corolla tubuloſa, irregularis, quadrifida; ſtamina quatuor, diſtincta; ſemina oblonga, calice proprio ornata.

288. GLOBVLARIA. *Tourn.*

Calix communis imbricatus, planus; thalamus ſubrotundus, ſquamis diſtinctus: calix proprius monophyllus, irregularis, quadridentatus; floſculi monopetali, irregulares; ſtamina quatuor; ſtylus ſimplex, ouulum ſingulum in tubo floſculi haeret, quod ſemen oblongum, nudum ſiſtit.

ALYPVM. *Niſſ. ob ſemina quodammodo papposa a Globulariis ſeparari poſſet.*

289. SCABIOSA. *Tourn. et Linn.*

Calix imbricatus, polyphyllus: thalamus paleis vel pilis diſtinctus; ouula ſuſtinent calicem proprium duplicatum: floſculi tubuloſi, quadrifidi vel quinquifidi, irregulares; ſtylus ſimplex; ſemina oblonga, calice proprio coronata.

Vaillantius et Hallerus hoc genus petiſſimum a calicis et thalami differentia vlterius diſtinguunt.

SCABIOSA. *Vaill. calix communis corollam non ſuperat; thalamus piloſus; calix proprius, radiis ciliaribus cinctus; floſculi quadrifidi; ſemen nullo annulo membranoſo cinctum.*

SVCCISA. *Vaill. calix communis corollam non ſuperat; thalamus paleaceus; floſculi quadrifidi; ſeminum annulus membranoſus, breuis.*

ASTEROCEPHALVS. *Vaill. calix communis corollam ſuperat; thalamus paleaceus; ouulum oblongum, hirſutum, annulo ampliſſimo et foliaceo cingitur; calix proprio ouulo inſiſtens quinque radiis conſtat; floſculi quinquifidi; ſemina oblonga.*

PTEROCEPHALVS. *Vaill. calix communis corollam non ſuperat; thalamus nudus vel paleaceus; ouulum oblongum annulo foliaceo minori cingitur; calix proprius ſtellam, ex radiis plumoſis compoſitam, ſiſtit; floſculi quadrifidi aut quinquifidi; ſemina oblonga.* *Knau-*

Knautius ex floſculi laciniis diſtinguit:

SCABIOSA. *Knaut. in medio floſculi quinquifidi, in ambitu bilabiati, quinquifidi, maiores.*

PSORA. *Knaut. in medio floſculi quadrifidi, in ambitu bilabiati, quadrifidi.*

SVCCISA. *Knaut. in medio et in ambitu floſculi ſimiles quadrifidi, irregulares.*

290. KNAVTIA. *Linn.* LYCHNI-SCABIOSA. *Boerh.* LIMNESIVM. *Sieg.*

Calix ſimplex, cylindraceus, profunde multifidus; thalamus planus, nudus, exiguus; ouula floſculos monopetalos, irregulares, quadrifidos, ſuſtinent; ſtamina quatuor, diſtincta; ſtylus ſimplex; ſemina oblonga, nonnihil anguloſa, in ſummitate nonnihil villoſa.

Ad Scabioſas refert Vaillant.

291. LEVCADENDRON. *Linn.*

Calix communis imbricatus, ſquamis figura et proportione variis; thalamus nudus, vel villoſus; floſculi monopetali, profundius in bina quaſi petala diſtincti, quorum ſuperius ſimplex, inferius tripartitum; filamenta quatuor, antherae in cylindrum coalitae; ſtylus ſimplex; ſemina ſubrotunda, piloſa.

LEPIDOCARPODENDRON, HYPOPHYLLOCARPODENDRON, CONOCARPODENDRON. *Boerh. in hoc genere connectuntur.*

292. PROTEA. *Linn.*

Calix communis imbricatus, ſquamis ſubrotundis; thalamus paleaceus; floſculi tuboloſi, quadrifidi; ſtamina quatuor; ſtylus ſimplex; ſemina ſubrotunda, nuda.

Linnaeus in generum editione priori Conocarpodendri Boerh. quasdam ſpecies, et illud genus, quod Leucadendron dicit, ſub Protea complectebatur.

293. CEPHALANTHVS. *Linn.* PLATANOCEPHALVS. *Vaill.*

Calix communis ſquamoſus, capitulum ſphaericum formans; thalamus ſphaericus, ſquamis calicinis obſitus; ouula, quae inter ſquamas ſurgunt, calice proprio quadrifido vel quinquifido coronantur; floſculi tubuloſi quadrifidi vel quinquifidi; ſtamina quatuor vel quinque; ſtylus ſimplex; ſemina oblonga, in capitulum ſphaericum, pulpoſum, quodammodo compacta.

II) Floſculi ſtaminibus in antheram cylindraceam coalitis praediti.

294. COTVLA. *Linn.*

Calix ſquamoſus, vna vel altera ſerie ſquamarum ad ſimplicem quaſi calicem adnata; thalamus nudus; ouula diſci floſculos tubuloſos, quadrifidos, perfectos, ouula radii quadrifidos, lacinia quarta quaſi ſingulata, piſtillatos ſuſtinent; ſtamina quatuor filamenta oſtendunt ſub anthera cylindracea; ſemina diſci anguloſa, margine alata.

COTVLA. *Vaill. calicem ſimplicem, in plures lobos diuiſum et floſculos tubuloſos radii habet.*

ANANTHOCYCLVS. *Vaill. et Dill. calicem ſquamoſum et ouula piſtillata nuda in radio habet, quod cum non ſemper certum ſit, vt* LANCISIA. *Pont. quae huc refertur, docet, cum Linn. haec genera coniunximus.*

295. TA-

295. TANACETVM. *Tourn.*

Calix hemiſphaericus, imbricatus; thalamus nudus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; ſemina oblonga.

TANACETVM. *Vaill. folia alterna, in ſegmenta pinnata et crenata diuiſa, obtinet.*

BALSAMITA. *Vaill.* COSTVS. *Rai. et Sieg. folia integra, in ambitu ſerrata obtinet, et commode huc refertur.*

AGERATVM. *Boerh. calice oblongo et quaſi cylindrico a Tanaceto tantum differre videtur.*

AGERATOIDES. *Pont. ſemina, annulo membranaceo cincta, habet, et optime huc refertur, licet Linnaeus ad Chryſanthemum reduxerit.*

296. ARTEMISIA. *Linn.*

Calix imbricatus, hemiſphaericus, vel oblongus; thalamus nudus, interdum leuiter piloſus; ouula in medio floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos ſuſtinent, quibus in ambitu nonnunquam quidam flores piſtillati accedunt, vel nudi, vel parum petaloidei, quaſi lingulati; ſemina nuda.

In hoc genere quaedam vlterior diuiſio, vel ob nomina vbique recepta, neceſſaria videtur, ſed in modo florendi, calicis figura, thalamo villoſo, floribus piſtillatis in ambitu, nihil adeo certum inuentum fuit, vt potius omnes recentiores in coniungendo hoc genere conſentiant.

ARTEMISIA. *Tourn. folia ſubtus incana; flores erecti.*

ABSINTHIVM. *Tourn. flores penduli ex alis foliorum; calix hemiſphaericus; thalamus villoſus.*

SERIPHIVM. *Pont. thalamus nudus; flores piſtillati in ambitu nulli.*

ABROTANVM. *Tourn. habitus proprius; folia capillacea.*

DRACO. *Boerh.* DRACVNCVLVS. *C. B.* ABROTANOIDES. *Sieg. folia alterna, inferiora diuiſa, ſuperiora integra.*

297. HACVB. *Vaill.* GVNDELIA. *Tourn. et Linn.*

In ſummitate caulis folia plantae in alis ſuſcipiunt flores compoſitos et ſic plures ſimul capitulum vel ſpicam capitatam efficiunt; ſingulus flos compoſitus calicem non habet, ſed ſolus thalamus ex anguſto ampliatus, quadragonus, ſuperius truncatus, foueas quatuor in ambitu et vnam in medio oſtendit, in quibus ouula quaſi abſconduntur; ouulo ſingulo inſiſtit floſculus tubuloſus, quinquifidus, perfectus; ſemina turbinata, margine obſoleto cincta, ex quibus centrale ſaepius tantum matureſcit.

298. SPHAGANOPHORVS. *Vaill.*

Calix imbricatus; thalamus nudus: ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; ſemina quadrangularia, inferius anguſta, corona denticulata ornata.

299. CARELIA. *Pont.* AGERATVM. *Linn.*

Calix imbricatus, ſubrotundus: thalamus nudus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; ſemina quinque denticulis ornata.

300. ECHI-

300. ECHINOPVS. *Tourn.* ECHINOPS. *Linn.* CARDVVS SPHAEROCEPHALOS. *Rai.*

Habitus cardui; capitulum ſpaericum; calix paruus, multifidus, flore expanſo ad caulem reflexus; thalamus nudus; ouulis in caliculo proprio, ſquamoſo, imbricato, anguloſo haerentibus, inſident flores tubuloſi, erecti, limbo quinquifido, reflexo; ſemina in caliculo perſiſtente contenta, cylindrica, corona minima papposa inſtructa.

301. TVSSILAGO. *Linn.*

Calix monophyllus, cylindricus, ex ſquamis parallelis coalitus, ſquamis ad baſin accedentibus, imbricatus; thalamus nudus; ouula ſuſtinent floſculos varios in diuerſis ſpeciebus; ſemina pappoſa.

Sub hoc igitur genere complectitur:

PETASITES. Vaill. radix viuax; folia orbicularia, ad baſin membranae ſinuata; ſcapus foliolis coloratis ornatus; flores folia anteuertentes, in thyrſum diſpoſiti, vel flore ſingulari; calix ad baſin plus minus ſquamoſus; ouula vel floſculos omnes tubuloſos, quadrifidos vel quinquifidos perfectos, vel piſtillatos tubuloſos, vel piſtillatos nudos, plus minus copioſos, in ambitu ſuſtinent.

TVSSILAGO. Vaill. radix viuax; folia ſubrotunda; ſcapus foliolis ceu ſquamis veſtitus; flos ſingularis, floſculi in diſco tubuloſi, quinquifidi, perfecti, in radio copioſi piſtillati, lingulati.

CACALIA. Vaill. caulis ramoſus, folioſus; floſculi pauciores tubuloſi, quadrifidi, perfecti.

CACALIAM *diſtinguit Hallerus et Tuſſilaginem*

et Petaſitidem ſub vnico PETASITIDIS *genere comprehendit.*

302. KLEINIA. *Linn.* CACALIANTHEMVM. *Dill.*

Calix monophyllus, conicus, ex ſquamis parallelis coalitus, ſquamis quibusdam ad baſin poſitis auctus; thalamus nudus, punctatus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, pauciores; ſemina auguſta, papposa.

PORОPHYLLVM. *Vaill. quod Linnaeus tanquam genus diſtinctum in corollariis ad editionem primam generum exhibuerat, in noua generum editione optime ad Kleiniam reduxit. Vaillantius ſpeciem flore radiato immiſcet.*

303. SENECIO. *Tourn.*

Calix monophyllus, cylindricus, ex ſquamis parallelis coalitus, ſquamis nouis ad baſin accedentibus, imbricatus; thalamus nudus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; ſemina papposa.

Iacobaeae ſpecies, quae ſimili calice inſtructae ſunt, licet in ambitu floſculos piſtillatos lingulatos obtinent, Linnaeus ad Senecionem refert; ex his forte, ſi conſtans eſſet radius, genus Doriae accuratius conſtitui poſſet.

304. STOEBE. *Linn.*

Calix ſubrotundus, imbricatus, vniuerſalis, intra ſingulam ſquamulam recipit calicem proprium pentaphyllum, vniflorum, qui thalamo nudo ouulum ſingulum ſuſtinet, cui floſculus tubuloſus, quinquifidus, perfectus inſiſtit; ſemen oblongum, coronatum, pappo plumoſo.

Ad

Ad Helichryſoidem refert Vaill. et eſt forte EVPATORIOIDES *Petiv.*

305. GNAPHALIVM. *Linn.*

Calix imbricatus, rotundus, vel oblongus, vel nonnihil anguloſus; thalamus nudus; ouula vel ſolos floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, vel piſtillatos nudos, plus minus copioſos in ambitu ſuſtinent; ſemina oblonga, papppoſa.

HISPIDVLA. *Riv. diphyta, in vna planta floſculos perfectos, in altera piſtillatos nudos gerens.*

ELICHRYSVM. *Tourn.* HELICHRYSVM. *Vaill. ſquamas calicinas nitentes; capitula rotundata.*

FILAGO. *Tourn. et Vaill.* GNAPHALIVM. *Rai. ſquamas calicinas minus nitentes et villoſas; capitula quinquangularia, et partes plantae ruptae ob villoſum adhaerens, in filamenta ductiles.*

HELICHRYSOIDES. *Vaill. multos floſculos piſtillatos, vnum vel alterum perfectum in medio obtinet; calix non nitens.*

BREYNIANA. *Petiv. quae calice vniflero eſt, Vaill. ad Helichryſoidem, Linn. ad Artemiſiam reduxit.*

306. CONYZA.

Calix imbricatus, ſubrotundus vel cylindraceus et oblongus, ſquamis acutis; thalamus nudus; ouula in medio floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in ambitu piſtillatos nudos, vel corollula breuiſſima lingulata conſpicuos, ſuſtinent; hinc radius minimus; ſemina papppoſa.

CONYZA. *Linn. calix ſubrotundus, ſquamis in apice patentibus; floſculi piſtillati nudi.*

BACCHARIS. *Rai. et Linn. calix cylindricus; floſculi piſtillati nudi.*

ERIGE-

ERIGERON. *Linn. calix cylindricus, floſculi piſtillati, in ambitu lingulati, radio plus minus conſpicuo.*

Huc CONYZOIDES *et* CONYZELLA. *Dill. ſiue* VIRGA ARGENTEA. *Heiſt. quoque pertinent.*

ERIGERON *ob radium conſpicuum optime ſeparari poſſet, niſi in praecedentibus interdum floſculi radii lingulati apparerent. Ad Aſteres quoque collocari poſſet, niſi proportio radii in Aſtere inſignior inueniretur.*

307. CHRYSOCOMA. *Linn.* COMA AVREA. *Boerh.* CHRYSOCOME. *Dill.*

Calix imbricatus, ſquamis anguſtis, acuminatis; thalamus nudus; ouula floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos ſuſtinent, et mutantur in ſemina papposa.

308. EVPATORIVM. *Tourn.*

Calix imbricatus, oblongus; thalamus nudus; ouula floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos ſuſtinent; ſtylus longiſſimus; ſemina pappoſa.

309. ELEPHANTOPVS. *Vaill.*

Foliola plantae, vt plurimum tria, in ſummis ramulis nonnullos floſculos compoſitos complectuntur; ouula, vt plurimum quatuor, ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, laciniis ferme aequalibus, in vnum latus reflexis, perfectos; ſemina ſetis coronata.

310. ONOPORDON. *Vaill. et Linn.*

Calix capitatus, imbricatus, ſquamis aculeatis; thalamus foueis quadrangularibus inſculptis ornatus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quin-

quinquifidos, ferme irregulares, perfectos; ſtigma coronatum; ſemina ouato-quadrangula, papposa.

311. PARTHENIVM. *Linn.*

Calix monophyllus, in varia ſegmenta ſciſſus, paruus: thalamus paruus, paleaceus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, antheris ſtaminum diſtinctis, in radio floſculos piſtillatos, corollula minore, quaſi ligulata, ſuſtinent; quae in diſco ſunt vix perficiuntur, quae vero in radio haerent mutantur in ſemina compreſſa, turbinata, nuda, vel corollula marceſcente coronata.

PARTHENIASTRVM. *Niſſ. et Dill.* HYSTEROPHORVS. *Vaill. vna cum ſpecie Tarchonanthi Vaill. hoc genus conſtituunt.*

312. SANTOLINA. *Linn.*

Calix imbricatus, hemiſphaericus; thalamus paleaceus; ouula floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblongo-anguloſa, nuda.

SANTOLINA. *Vaill. radix fibroſa; folia denticulata; flos in ſingulo ramo ſolitarius.*

SANTOLINOIDES. *Vaill. folia laciniata et flores ſingulares in quolibet ramo exhibens, huc referri poſſet.*

BACCHARIS. *Vaill. quae ſemina pilis vix conſpicuis coronata, folia alterna, flores plures in ſingulo ramo obtinet, a Linnaeo huc refertur.*

GNAPHALIVM. *Tourn. huc optime refertur.*

ANACYCLVS. *Linn. Santolinoides et Cotulas flore non radiato in vno genere coniunctas ſiſtit.*

313. BI-

313. BIDENS. *Linn.* CERATOCEPHALVS. *Vaill.*

Calix ſimplex, multifidus, foliolis externis interdum cinctus: thalamus paleaceus, paleis deciduis; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quadrifidos vel quinquifidos, perfectos, accedentibus in limbo floſculis piſtillatis vel neutris; ſemina oblonga, vel anguſta, vel lata, varie dentata.

314. VERBESINA. *Rupp. et Linn.* CERATOCEPHALOIDES. *Vaill.* FORBICINA. *Pont.*

In diſco tubuloſos floſculos perfectos habet, vt praecedens, ſed floſculi radii ſunt lingulati, piſtillati.

Verbeſinam et quasdam ſpecies Eupatoriophalacri, nec non Siegesbeckiam Linn. ad claſſem quintam referre debuiſſem, placuit tamen ob ſummam generum conuenientiam omnia vno ordine ſiſtere, cum forſitan omnes plantae huc reducendae ad vnum Verbeſinae genus reduci poſſent.

CANNABINA AQVATICA. *Rai. et* ACMELLA. *Sieg. huc referri poſſunt.*

SIEGESBECKIA. *Linn. inuolucro calicis pentaphyllo et ouulis et ſeminibus paucioribus, intra lacinias calicis comprehenſis, ab Eupatoriophalacro floſculis in radio lingulatis differt, et huc referri poſſet.*

EVPATORIOPHALACRVM. *Vaill. in quibusdam ſpeciebus cum Bidente, in aliis cum Verbeſina ratione floſculorum conuenit; ſemina nuda inueniuntur.*

315. MELAMPODIVM. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis ouatis, patentiſſimis; thalamus paleaceus; ouula

ouula in medio ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in ambitu paucos floſculos piſtillatos, breui membrana cinctos; ſemina media non perficiuntur, ſemina in ambitu oblonga, compreſſa, tetragona, in angulis aculeata, coronata ſquama cordata, margine conuoluto.

316. MICROPVS. *Linn.* GNAPHALODES. *Tourn.*

Calix exterior pentaphyllus, foliolis anguſtis, interior pentaphyllus, maximus; thalamus paleaceus; ouula in medio ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquedentatos, perfectos, in ambitu piſtillatos nudos; ſemina media abortiunt, ſemina in ambitu intra ſquamas calicinas haerent, et ſunt oblonga, compreſſa.

317. CARLINA. *Tourn.*

Calix hemiſphaericus, imbricatus, ſquamis exterioribus folioſis et ſpinoſis, interioribus planis, rigidis, coloratis, inſtar radii diſpoſitis; thalamus paleaceus; ouula floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos ſuſtinent; ſemina papposa.

CARLINA. *Vaill. pappus ſeminis ramoſus et plumoſus eſt.*

CARLINOIDES. *Vaill. corona ſeminis obſoleta eſt.*

HERACANTHA. *Tab. ad hoc genus quoque pertinet.*

318. SERRATVLA. *Linn. et Dill.* IACEA. *Pont.*

Calix oblongus, imbricatus, ſquamis in apice vix aculeatis; thalamus paleaceus vel interdum nudus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quin-

quinquifidos, ferme irregulares, perfectos; ſemina papposa.

Stigmate imprimis bifido, Serratulas a Carduis diſtinguit Linnaeus.

319. STAEHELINA. *Linn.*

Calix oblongus, imbricatus, ſquamulis reflexis, coloratis, ſquamae calicinae adhaerentibus; thalamus paleaceus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; ſemina tetragona, pappo plumoſo coronata.

320. TARCHONANTHVS. *Linn.*

Calix monophyllus, in ſegmenta varia ſciſſus, turbinatus, externe villoſus; thalamus minimus, villoſus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquedentatos, perfectos; ſemina oblonga, papposa.

Hoc genus vnicam tantum ſpeciem Tarchonanthi Vaill. ſiſtit.

321. CARDVVS. *Linn.*

Calix capitatus, imbricatus, ſquamis plus minus aculeatis; thalamus papposus; ouula floſculos tubuloſos, quinquifidos, ferme irregulares, perfectos ſuſtinent; ſtigma ſimplex; ſemina oblonga, papposa.

Sub hoc genere ſequentia Vaillantii genera comprehendit Linnaeus.

CARDVVS. *Vaill. et Hall. calicis ſquamae integrae, ſpinoſae; ſemen pappo villoſo ornatum.*

POLYACANTHA. *Vaill. ſquamae calicis integrae, ſpina acuta terminatae; ſemen pappo plumoſo ornatum.*

CIRSIVM. *Vaill. ſquamae calicis integrae, ſpinis*

nis vel mollioribus vel nullis terminatae; ſemen pappo plumoſo coronatum.

ERIOCEPHALVS. *Vaill. ſquamae calicis integrae, plus minus ſpinoſae; caput tomentoſum; ſemina pappo plumoſo coronata.*

Habet etiam ſpeciem, in cuius ambitu eſt radius ex floſculis ferme irregularibus, quinquifidis, neutris, quam Linnaeus ad Centauream refert.

CIRSIVM. *Hall. Cirſium et Eriocephalum Vaill. coniungit.*

SILYBVM. *Vaill.* CARDVVS MARIAE. *Off. ſquamae calicis in membranam, ambitu ſpinoſam expanduntur, et apex inſigniter aculeatus eſt; ſemina craſſa, vmbilicata, pappo piloſo coronata.*

322. CYNARA. *Vaill. et Linn.* CINARA. *Tourn.*

Calix capitatus, imbricatus, ſquamis carnoſis, auctis membrana vel acuta, vel emarginata, cum acumine medio; thalamus villoſus, ferme paleaceus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, ferme irregulares, laciniis anguſtis; ſtigma ſimplex; ſemina oblonga, pappo plumoſo coronata.

323. CNICVS. *Linn.*

Calix capitatus, imbricatus, ſquamis ramoſis; thalamus villoſus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; in ambitu nonnulli abortiunt, forte ob compreſſionem calicis; ſtigma ſimplex; ſemen pappo coronatum.

CNICVS. *Vaill.* HIERAPICRA. *Sieg. calix corona folioſa ſuccinctus; ſemen ſtriatum, pappo ſetoſo coronatum.*

ACARNA. *Vaill. ſemen glabrum, pappo piloſo coronatum.*

324. LAPPA. *Tourn.* ARCTIVM. *Linn.*
Calix capitatus, imbricatus, ſquamis calicinis in apice hamatis; thalamus piloſus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, inflexos, perfectos; ſemina oblonga, ſtriata, pappo piloſo coronata.

325. CARTHAMVS. *Linn.*
Calix capitatus, imbricatus, ſquamis in apice foliaceis; thalamus piloſus; ouula ſuſtinent floſculos tubuloſos, limbo quinquifido, erecto, perfectos; ſemen varie piloſum.

CARTHAMVS. *Vaill. ſemen vix piloſum.*

ATRACTYLIS. *Vaill. ſemina in ambitu leuiter piloſa, in medio magis piloſa.*

CARTHAMOIDES. *Vaill. ſemen piloſum.*

326. XERANTHEMVM. *Tourn.*
STOEBE. *Riv.*
Radix fibroſa; folia alterna, integra: calix oblongus, imbricatus, ſplendens, ſerie ſquamarum interiore longiore, radium mentiente; thalamus lanatus; ouula in diſco medio ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in ambitu paucos tubuloſos, irregulariter quinquifidos, piſtillatos; ſemina oblonga, corona quinqueſeta ornata.

XERANTHEMOIDES. *Dill. calice inſigniter radiato et pappo plumoſo a praecedente differt.*

327. PTEROPHORVS. *Vaill.*
Calix imbricatus; thalamus villoſus; ouula floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos ſuſtinent; ſemen oblongum, plumoſum.

CLAS-

CLASSIS IV.

Plantae flore perfecto, monopetalo, compoſito, lingulato.

328. LAMPSANA. *Tourn.*

Calix cylindraceus, ex ſquamis parallelis conflatus, quibus in baſi aliae minores accedunt, thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent: ſemina oblonga, ſtriata, in apice circulo terminata, ſquamis calicinis non inuoluta.

LAPSANA. *Roy. et Linn. genus ſiſtit, ſub quo Lampſana Tourn. et Vaill. Rhagadiolus Tourn. et Vaill. Rhagadioloides Vaill. Hedypnois Tourn. et Zazintha Tourn. et Vaill. complectuntur.*

329. RHAGADIOLVS. *Tourn. et Vaill.* HIERACIVM STELLATVM. *Rai.*

Calix cylindraceus, ex ſquamis parallelis conflatus, quibus in baſi aliae minores accedunt; thalamus nudus; ouula, ſimplici ordine poſita, ſuſtinent floſculos lingulatos, perfectos; ſemina, in calicis ſquamis haerentia, ſtellae in modum expanduntur, duobus vel tribus in medio ſurgentibus, vix perfectis.

330. HEDYPNOIS. *Tourn.* RHAGADIOLOIDES. *Vaill.* HIERACIVM FALCATVM. *Rai.*

Calix cylindraceus, longitudinaliter ſtriatus, ſquamis ad baſin acceſſoriis; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina cylindrica, ſtriata, marginalia in ſtriis

 calicis

calicis inſerta, caliculo quinquedentato, centralia paleis, in ſtellae formam diſpoſitis, coronata.

331. HYOSERIS. *Linn.*

Calix decaphyllus, cylindraceus, ſquamis ad baſin acceſſoriis: thalamus nudus; ouula floſculos ligulatos, perfectos, ſuſtinent; ſemina varie coronata.

HYOSERIS. *Tab. et Rai. folia circa caulem ſeſſilia, caules nudi, ad radicem tenues et ſolidi, in ſummitate ſenſim craſſi et fiſtuloſi; ſemina ſtriata, nuda, in diſco plano digeſta.*

TARAXACONASTRUM. *Vaill. ſemina radii triangularia, tribus foliolis ornata, ſemina centralia exteriora calice quinquifido, piloſo coronata, interiora ſiue media papposa.*

LEONTODONTOIDES. *Mich. ſemina ferme nuda offert, et a Vaillantio ad Taraxaconaſtrum refertur. Linnaeus haec tria genera coniungit.*

332. ZAZINTHA. *Tourn. et Vaill.*

Calix ſtriatus, acceſſoriis ſquamis ad baſin veſtitus; thalamus nudus; ouula ſuſtinent floſculos ligulatos, perfectos; ſemina centralia oblonga, papposa, marginalia gibboſa, in ſtrias calicis inſerta, nuda.

Linnaeus ad Lapſanam retulit.

333. TRAGOPOGON. *Tourn.*

Calix monophyllus, multifidus, ſeu ex plurimis ſquamis coalitus; thalamus nudus; ouula floſculos ligulatos, perfectos ſuſtinent; ſemen oblongum, in mucronem, coronam papposam ſuſtinentem, extenſum.

TRA-

TRAGOPOGON. *Vaill. calicis ſegmenta corollam ſuperantia et ſemina recta.*

TRAGOPOGONOIDES. *Vaill. calicis ſegmenta corollae minora vel aequalia et ſemina curua obtinet.*

334. CHONDRILLA. *Tourn.*

Calix cylindraceus, ſquamis parallelis, ad baſin ſquamis minoribus accedentibus; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos, ſuſtinent; ſemina aſpera in mucrone pappum ſimplicem gerunt.

335. PICRIS. *Linn.* HELMINTHOTHECA. *Vaill.*

Calix imbricatus, ſquamis ad baſin accedentibus, paulo minus folioſis; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina pappo plumoſo vel ſeſſili coronata, oblonga, tranſuerſim ſtriata.

Ad Hieracia retulit Tourn.

336. PRENANTHES. *Linn.*

Calix cylindricus, ex quinque ſquamis parallelis compoſitus, accedentibus tribus minoribus ad baſin; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina cordata, pappo capillari, vel ſeſſili, vel in mucrone poſito, coronata.

PRENANTHES. *Vaill. illas ſpecies tantum ſiſtit, quae flore pendulo ſunt, et quas Tourn. in Chondrillis habet; reliquas cum Tourn. ad Lactucas refert.*

337. HIERACIVM. *Linn.*

Calix ſquamoſus, imbricatus, ſquamis multorum ordinum; thalamus nudus; ouula floſculos

 lin-

lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina breuia, ſulcata, pappo ſimplici coronata.

HIERACIVM. *Vaill. caulem ramoſum*

PILOSELLA. *Vaill. caulem ſimplicem obtinet.*

PILOSELLA. *I. B.* AVRICVLA MVRIS. *Rai. nec non* PVLMONARIA GALLORVM. *Rai. huc pertinent.*

HIERACIOIDES. *Vaill.* CREPIS *Linn. calice externo ſiue ſquamis ad baſin, quas Linnaeus deciduas dicit, ab Hieracio differre videtur.*

338. SONCHVS. *Tourn.*

Calix imbricatus, floribus exucclis in conum contractus; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, vel anguſta, vel ſulcata, vel aſpera, pappo ſimplici coronata.

CREPIS. *Vaill. quae ſemina quadrata, ſulcata, in angulis aſpera obtinet, a Linnaeo huc refertur.*

339. TARAXACVM. *Hall.* DENS LEONIS. *Tourn.* LEONTODON. *Linn.*

Scapus nudus; calix imbricatur, ſquamis multorum ordinum, exterioribus non raro reflexis; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, compreſſa, pappo, vel ſeſſili, vel mucroni impoſito, coronata.

TARAXACVM *off. huc pertinet.*

DENS LEONIS. *Vaill. pappus ſimplex, in mucrone ſeminis poſitus, extimis ſquamis calicis reflexis.*

TARAXACONOIDES. *Vaill. pappus plumoſus, ſeſſilis, ſquamis calicis omnibus erectis.*

340. LA-

340. LACTVCA. *Tourn.*

Calix imbricatus, ex ſquamis multorum ordinum compoſitus, quodammodo in conum conniuens; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, compreſſa, vtrinque acuminata, in mucrone extenſo pappum gerentia.

CHONDRILLA. *C. B. quae et Lactuca perennis dici poſſet, et foliis laciniatis differt, huc referatur.*

CHONDRILLOIDES. *Boerh. forte huc referri poſſet.*

341. SCORZONERA. *Tourn.*

Calix imbricatus, ex ſquamis magnis compoſitus; thalamus nudus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, cylindracea, ſtriata, pappo plumoſo coronata.

SCORZONERA. *Vaill. folia integra non diſſecta.*

SCORZONEROIDES. *Vaill. folia laciniata obtinet.*

342. ANDRYALA. *Linn.* ERIOPHORVS. *Vaill.*

Calix ſimplex, multifidus, villoſus; thalamus villoſus; ouuia floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, ſtriata, pappo ſimplici coronata.

Ad Hieracia refert Tourn.

343. SCOLYMVS. *Tourn.*

Habitus Cardui; calix capitatus, imbricatus, ſquamis acutis, denſioribus; thalamus paleaceus; ouuia floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, triangularia, inferius angulata.

344. CATANANCHE. *Vaill. et Linn.*

CATANANCE. *Tourn.*

Calix oblongus, imbricatus, ſquamis laxis, papiraceis, ſplendentibus; thalamus paleaceus; ouula ſuſtinent floſculos lingulatos, perfectos, marginalibus quodammodo maioribus, radium quaſi formantibus: ſemen oblongum, compreſſum, corona foliacea, vel ſetoſa inſtructum.

345. CICHOREVM. *Tourn.*

Calix cylindricus, ex ſquamis parallelis conſtans, ſquamis acceſſoriis ad baſin; thalamus paleaceus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina anguloſa, margine paruo, dentato coronata.

ENDIVIA. *Rai. quae foliis breuioribus, minus ſectis et radice annua differt, huc referatur.*

346. HYPOCHOERIS. *Linn.*

Calix imbricatus, baſi ventricoſus; thalamus paleaceus; ouula floſculos lingulatos, perfectos ſuſtinent; ſemina oblonga, pappo plumoſo vel ſimplici coronata.

HYPOCHOERIS. *Vaill. calicem ſubrotundum, imbricatum, baſi ſquamoſum, et pappum plumoſum obtinet.*

ACHYROPHORVS. *Vaill. calicem oblongum, ſtriatum, ſquamas ad baſin accedentes et pappum ſimplicem obtinet. Linnaeus vtrumque genus coniungit. Tournefortius ad Hieracia refert.*

CLAS-

CLASSIS V.

Plantae flore perfecto, monopetalo, compoſito, mixto.

347. BELLIS. *Tourn.*

Radix fibroſa; caules ſimplices, rarius ramoſi; calix hemiſphaericus, duplici ſerie foliorum conſtat, vix imbricatus; thalamus nudus, in marceſcente flore fit conicus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquedentatos, perfectos, ſtigmate ſimplici, in radio floſculos lingulatos, piſtillatos, ſtigmate duplici ſuſtinent; ſemina ouata, compreſſa, nuda.

BELLIS LEVCANTHEMVM. *Mich. caules ramoſi, foliis ornati.*

348. CALTHA. *Tourn.* CALENDVLA. *Rai. et Linn.*

Calix ex duplici foliorum ordine conſtans, vix imbricatus, potius monophyllus, multifidus; thalamus nudus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina diſci, vel abortiua, vel cordato-compreſſa, radii oblonga, ferme triangularia, incurua.

DIMORPHOTHECA. *Vaill. quae a Linn. ad Calendulam refertur, ſemina in diſco vel abortiua vel triangularia, in radio cordata, compreſſa obtinet, qua de cauſſa etiam* CARDISPERMVM *dicta fuit.*

349. MATRICARIA. *Hall.*

Calix hemiſphaericus, imbricatus, ſquamis

graduatis, vix aequalibus; thalamus nudus; ouula diſci floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, radii lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina oblonga, nuda.

PYRETHRVM. *Hall. non niſi ſemine denticulato differt, et huc referri poſſet.*

Comprehenditur itaque ſub hoc genere:

CHRYSANTHEMVM. *Tourn. floſculi lingulati, ſemper aurei, ad minimum ad baſin in illis, qui albidos floſculos lingulatos habent.*

LEVCANTHEMVM. *Tourn. floſculi lingulati, penitus albi.*

MATRICARIA. *Tourn. et Vaill. floſculi lingulati albi, raro nulli; folia laciniata, pinnatifida, pinnis denuo diuiſis.*

PARTHENIVM. *Mich. planta inodora et inſipida; radix perennis; ſemina vmbilicata.*

BELLIDIOIDES. *Vaill. folia dentata, ad coſtam vsque non inciſa habet, coniungit itaque quasdam Chryſanthemi et Leucanthemi ſpecies, alias tamen ad Matricariam reiicit.*

CHRYSANTHEMVM. *Linn. cum Bellidioide ferme conuenit, et characterem habet, ſquamas calicinas verſus inferiora per gradus auctas.*

MATRICARIA. *Linn. ſquamas calicinas aequales habet.*

Varia itaque haec genera in vnum confluunt, niſi floſculos lingulatos, lanceolatos et obtuſos truncatos diſtinguere, et omnes plantas in bina genera diuidere velles.

350. OSTEOSPERMVM. *Linn.* CHRYSANTHEMOIDES. *Tourn.* MONILIFERA. *Vaill.*

Calix hemiſphaericus, folioſus, foliolis acutis;

tis; thalamus nudus; ouula diſci floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, radii lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina in diſco vix perficiuntur, in radio globoſa, baccis ſimilia, nuda, nucleum continent.

351. TAGETES. *Tourn. et Linn.* FLOS AFRICANVS. *Rai.*

Radix fibroſa; folia pinnatifida; calix monophyllus, tubuloſus, anguloſus, quinquedentatus; thalamus nudus; ouula in diſco floſculos tuboloſos, quinquifidos, perfectos, in radio floſculos lingulatos, obtuſos, piſtillatos ſuſtinent; *corollulae ſaepius per culturam monſtroſae ſiunt;* ſemina longa, compreſſa, anguſta, paleis diuerſae magnitudinis ornata.

352. ASTER. *Linn.*

Calix expanſus, ferme hemiſphaericus, imbricatus, ſquamulis latiuſculis, apice reflexis; thalamus nudus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio lingulatos, piſtillatos, lingulis patentioribus et copioſioribus, ſuſtinent; ſemina oblonga, papposa.

ASTER. *Vaill. floſculos radii alio quam luteo colore inſignes oſtendit; pappus capillaris.*

HELENIVM. *Vaill. floſculos radii luteo colore inſignes habet; pappus capillaris.*

HELENIVM *Off. huc pertinet.*

ASTEROPTERVS. *Vaill. pappo plumoſo a praecedentibus differt.*

VIRGAE AVREAE. *Tourn. ſpecies, quae radio ſpecioſo praeditae ſunt, huc quoque referantur.*

353. SO-

353. SOLIDAGO. *Linn.*

Calix plus minus oblongus, vel hemiſphaericus, imbricatus, ſquamis acuminatis, apice introrſum ſpectante, conniventibus: thalamus nudus; ovula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio ligulatos, piſtillatos, ligulis parcioribus, nec adeo patentibus, quam in Aſtere, ſuſtinent; ſemina pappoſa.

IACOBAEAE. *Tourn. illae ſpecies, quae calice ſunt imbricato, huc referantur, de reliquis vid. Senecio.*

VIRGAE AVREAE. *Tourn. plurimae ſpecies, quae radio minus ſpecioſo, ex paucis ligulatis compoſito, imminuuntur, huc quoque referantur. Modus florendi in caulium et ramorum faſtigio, inſtar virgae in pedunculis brevibus, quem Vaill. quoque aſſumit, vix definiri poteſt.*

Vaillantius omnes Iacobaeae ſpecies Tourn. et in hoc genere, et ſub Senecione comprehenſas, ſic diſtinguit.

SOLIDAGO. *Vaill. folia integra, non petiolata.*

IACOBAEA. *Vaill. folia diſſecta.*

IACOBAEOIDES. *Vaill. folia integra, petiolata.*

IACOBAEASTRVM. *Vaill. calice diverſum. Vid. ſub Othonna.*

IACOBAEA. *Rai. et Boerh. folia laciniata*

DORIA. *Rai. et Boerh. folia integra obtinet.*

DORIA. *Dill. paucioribus floſculis ligulatis a Iacobaeis diſtinguuntur, inde a Linnaeo optime huc refertur.*

354. DORONICVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, in ſegmenta duplicis ſe-

riei

riei profunde diuiſus; thalamus nudus; ouula diſci floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, radii lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina papposa.

DORONICVM. *Hall. ſegmenta calicis anguſtiora, acuta et longiora; ſemina radii nuda.*

ARNICA. *Rupp. et Hall. ſegmenta calicis latiora et breuiora; ſemina omnia papposa; Ruppius floſculos radii integros addit; Hallerus tridentatos habet.*

BELLIDASTRVM. *Mich. et Hall. facies Bellidis; ſemina papposa.*

355. OTHONNA. *Linn.* IACOBAEASTRVM. *Vaill.*

Calix monophyllus, plus minus profunde diuiſus; thalamus nudus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina diſci raro perficiuntur, ſemina radii papposa, vel ſolida.

In Iacobaeis, a plurimis aucteribus coniunctim aſſumtis, recentiorum diuiſio in varia genera vix certa eſt, quia folia integra et diuiſa, calices monophylli nudi vel ad baſin ſquamati, plus minus profunde diuiſi, vel etiam imbricati, nec non floſculorum lingulatorum numerus, limitibus circumſcribi non poſſunt.

356. GERBERA. *Linn.*

Calix imbricatus, ſquamis oblongis, acutis, erectis; thalamus nudus; ouula in diſco ſuſtinent floſculos tubuloſos, trifidos, lacinia vna reliquis duplo latiore, perfectos, in radio floſculos lingulatos, piſtillatos, filamentis ſtaminum circa ſtylum erectis, ſine antheris; ſemina pappo capillari coronata.

357. CHA-

357. CHAMAEMELVM. *Tourn.* ANTHEMIS. *Linn.* CHAMOMILLA. *Sieg. et Off.*

Folia tenuiter ſecta; flores ſingulares in ſummitate ramorum; calix hemiſphaericus, imbricatus; thalamus paleaceus, conuexus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio linguatos, piſtillatos, vel neutros ſuſtinent; ſemina oblonga, nuda.

358. ACHILLAEA. *Vaill.*

Calix imbricatus, hemiſphaericus, aut cylindraceus; thalamus paleaceus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio lingulatos, breuiores et latiores, nec adeo copioſos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina nuda.

PTARMICA. *Tourn. calix hemiſphaericus; folia integra et ſerrata.*

MILLEFOLIVM. *Tourn. calix cylindricus; folia tenuisſime ſecta.*

Cum calicis figura et foliorum laciniae nullis limitibus circumſcribi posſint, optime a recentioribus haec bina genera coniunguntur.

359. BELLIDIASTRVM. *Vaill.*

Calix hemiſphaericus, imbricatus; thalamus paleaceus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, in radio lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina oblonga, ſtriata, nuda.

360. HELIANTHVS. *Linn.* CORONA SOLIS. *Tourn.* FLOS SOLIS. *Rai.* SOL. *Rupp.* HELIOTROPIVM. *Malp.* SOLARIA. *Sieg.*

Calix expanſus, imbricatus, foliolis laxis, acuminatis; thalamus planus, paleis acutis, deciduis, refertus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, cam-

campanulatos, quinquedentatos, perfectos, in radio lingulatos, neutros ſuſtinent; ſemina caliculo diphyllo, proprio, deciduo, coronata, oblongo-quadragona, in radio non perficiuntur.

361. RVDBECKIA. *Linn.* OBELISCOTHECA. *Vaill.* CHALCANTHEMVM. *Sieg.*

Calix gemino foliorum ordine conſtans, vix imbricatus; thalamus conicus, paleis acutis, deciduis refertus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquedentatos, perfectos, in radio lingulatos, apice nonnihil dentatos, neutros ſuſtinent; ſemina quadragona, inferius anguſta, ſuperius quadridentata, in radio non perficiuntur.

362. BVPHTHALMVS. *Linn.*

Calix imbricatus, hemiſphaericus, ſquamis vel ſimplicibus, vel foliolis, trium vt plurimum ordinum; thalamus paleaceus; ouula in diſco floſculos quinquifidos, perfectos, in radio lingulatos, piſtillatos ſuſtinent; ſemina diſci oblonga, dentata, radii compreſſa, marginata, margine plus minus euidenti, dentata.

BVPHTHALMVS. *Tourn. calix imbricatus, non folioſus; ſemina radii vix euidenter marginata.*

ASTERISCVS. *Tourn. et Vaill. calix imbricatus, folioſus; ſemina radii euidenter emarginata.*

ASTEROIDES. *Tourn. et Vaill. calix imbricatus, non folioſus; facies Aſteris ob floſculos lingulatos, longiſſimos, et radium inde ampliſſimum; ſemina Aſteriſci.*

ANTHEMIS. *Mich. folia in tenuiſſimas lacinias diuiſa; thalamus conicus; ſemina vix euidenter marginata; ſpecies igitur quaedam ad Chamaemelum erunt referendae.*

PYRETHRVM. *Off. et Rupp. forte huc referri poſſet.*

SIL-

SILPHIVM. *Linn.* ASTERISCVS. *Dill.* *calix foliaceus, ſemina diſci vix perficiuntur, ſemina radii ſunt marginata, tridentata.*

Niſi calix ſquamoſus, arcte imbricatus, in Buphthalmo, et calix folioſus, floſculorum ambitum plus minus ſuperans in Aſteriſco, notam generum certam conſtituit, in ſeminum differentia limites omnino incerti erunt.

263. ANEMONOSPERMOS. *Boerh.*

ARCTOTIS. *Linn.* ARCTOTHECA. *Vaill.*

Calix hemiſphaericus, imbricatus, ſquamis exterioribus extrorſum flexis, interioribus erectis; thalamus paleaceus, vel piloſus; ouula diſci floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, radii lingulatos, piſtilatos ſuſtinent; ſemina diſci vix perficiuntur, radii ſubrotunda, villoſo tomento cincta, et foliolis calicis proprii ouatis coronata.

364. CHRYSOGONVM. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis oblongis, patentiſſimis; thalamus paleaceus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos, ouula radii lingulatos, piſtillatos, oblongos, pauciores ſuſtinent: ſemina in diſco vix perficiuntur, in radio intra calicem quadrifidum, irregularem, proprium latent, obuerſe cordata, depreſſa, quadrangula, lateribus latiuſculis, ſquama cordata impoſita.

365. ATRACTYLIS. *Linn.* CROCODILODES. *Vaill.*

Calix imbricatus, vel capitatus, vel expanſus, ſquamis plus minus aculeatis, inuolucro acceſſorio, multifido et aculeato, nonnunquam praeſente;

ſente; thalamus piloſus; ouula in diſco floſculos tubuloſos, quinquifidos, in radio lingulatos, quinquifidos, vel integros, perfectos ſustinent; ſemina radii vt plurimum abortiua, ſemina diſci oblonga, compreſſa, pappo plumoſo coronata.

366. CENTAVRIA. *Linn.*

Calix capitatus, imbricatus, ſquamis varie terminatis; thalamus villoſus, vel ſetoſus; ouula diſci ſuſtinent floſculos tubuloſos, quinquifidos, perfectos; ouula radii vix conſpicua ſuſtinent floſculos tubuloſos, diuerſimode diuiſos, neutros, plus minus eminentes; ſemina pappoſa, non raro nuda.

Copioſae plantarum ſpecies ſub hoc genere comprehenduntur, quae a variis varie in noua genera diſpoſitae fuerunt.

CROCODILIVM. *Vaill. ſquamae calicinae margine fimbriatae et in apice ſpinoſae; ſemen pappo plumoſo coronatum.*

CALCITRAPA. *Vaill. ſquamae calicinae in apice ſpina forti, ſolitaria donatae, in margine vel denticulatae, vel ciliatae, vel ſpinoſae; ſemina vel nuda, vel pappoſa.*

CALCITRAPOIDES. *Vaill. ſquamae calicinae ſpinis radiatis ornatae, media parum eminente.*

RHAPONTICVM. *Vaill. ſquamae calicinae ſubrotundae, integrae, membrana tenera auctae; floſculi neutri, in radio vix maiores floſculis diſci; ſemina vel nuda, vel pappoſa.*

RHAPONTICOIDES. *Vaill. ſquamis acuminatis a praecedente differt.*

AMBERBOI. *Vaill.* CYANOIDES. *Sieg. odor floris ſuauis; ſquamae calicinae integrae vel*

ſubrotundae vel leuiter acuminatae; ſemina vel nuda vel piloſa.

IACEA. *Vaill. ſquamae calicinae ciliatae; floſculi neutri, quinquifida, irregulares, laciniis binis breuioribus, binis longioribus; ſemina nuda vel papposa.*

CYANVS. *Vaill. ſquamae calicinae ciliatae: floſculi neutri, magis eminentes, irregulares, laciniis latioribus; ſemina vel pappo piloſo, vel plumoſo ornata.*

CYANVS. *Hall. cum in laciniis floſculorum neutrorum nullos limites inueniat, Iaceam et Cyanum Vaill. coniungit.*

CARDVVS. *Tourn. ſpecies huius generis, quae ſquamas calicinas ſpinoſas habent, ſimul complectitur.*

IACEA. *Tourn. ſquamas calicinas non ſpinoſas obtinet.*

IACEA. *Rai. et Boerh folia et caules ſpinis carentes; folia integerrima; ſquamae calicinae vel ſpinoſae, vel non ſpinoſae; floſculi vel tantum tubuloſi, perfecti, vel neutri in radio ſimul.*

CYANVS. *Tourn. floſculi neutri in ambitu bilabiati; reliqua vt in Iacea.*

CENTAVRIVM MAIVS. *Tourn. et Boerh.*

CHIRONIA. *Riv. folia non ſpinoſa, in ambitu ſerrata; ſquamae calicinae non ſpinoſae; flos ſpecioſus.*

SERRATVLA. *Rai. et Boerh. folia plus minusque ſerrata, capitula ferme cylindracea, minora; floſculis in ambitu plus minus eminentibus.*

CRVPINA. *Dill.* CYANOIDES. *Pont.* CALCITRAPA. *Sieg. ſpecies huius generis, quae ſemine ſunt nudo, complectitur.*

CRV-

CRVPINA. *Knaut. et Rupp.* HERPOSPERMVM. *Sieg. corona ſeminum ſetoſa a praecedentibus differt.*

Ex quibus omnibus patet, floſculos tubuloſos, neutros in ambitu, et thalamum pappoſum, conſtantes tantum characteres eſſe; figuram capitulorum, ſquamarum calicinarum appendiculas, laciniarum in floſculis radii numerum et differentiam, et inde dependentem regularitatem et irregularitatem floſculi, et tandem ſeminum ornamenta, non niſi incertos, et limitibus vix circumſcribendos conceptus exhibere.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CLASSIS VI.
Plantae flore perfecto, dipetalo.

A. MONANTHERAE.

DISTYLAE.

367. CORISPERMVM. *Iuſſ.*

Flos in alis foliorum; calix nullus; corolla petalis compresſis inſtructa; ſemen vnicum, depreſſum, colore et figura cimicis.

RHAGROSTIS. *Buxb. huc referri poſſet.*

368. STELLARIA. *Rai.*

Planta aquatica; folia aquis immerſa, anguſtiſſima, illis vero innatantia, quodammodo latiora, confertim quaſi ſtellae in modum diſpoſita, tamen alterna; flores ex alis foliorum; calix nullus; corolla petalis compreſſis inſtructa; flores ſuperiores ſtaminei tantum videntur omnino imperfecto, inferiores ſtamina vix emittunt;

 planta

planta interdum diphyta; fructus minor membranaceus, quatuor lineis impreſſis diviſus, an bilocularis? an quadrilocularis?

Ad Coriſpermum reduxit Linn.

B. DIANTHERA.

MONOSTYLA.

369. CIRCAEA. *Tourn.*

Radix fibroſa, repens, perennis: folia coniugata, integra; flores in ſpica laxa diſpoſiti; calix bifolius, caducus, margini ouarii innatus; corolla petalis cordatis inſtructa; ouarium ſub flore; fructus ſiccus, aſper, bilocularis, biualvis; ſemen in ſingulo loculo oblongum.

C. HEXANTHERAE.

1) *MONOSTYLA.*

370. MVSA. *Plum. et Boerh.*

Caudex arundinaceus; folia circa faſtigium caudicis expanſa; ſpadix, flores ſuſtinens, et ex vaginis emittens, ex commiſſuris foliorum ſurgit; flores ſuperiores ouaria abortiua ſuſtinent: calix nullus; petala bina, quorum ſuperius erectum, quinquedentatum, inferius breuius, nauiculare; filamenta ſex, quorum quinque antheras lineares oſtendunt, ſextum anterius anthera deſtituitur; ſtylus ſimplex; flores inferiores ouaria perfecta ſuſtinent, et calice et corolla cum praecedente conueniunt; filamenta vero quinque antheras nullas, ſextum anterius antheram linearem obtinet; ſtylus ſimplex, ſtigma globoſum: ouaria mutantur in fructus molles,

les, triloculares, ſeminibus vix conſpicuis foetos.

Ad relatiuas referre nolui, cum antherae in vtrisque floribus inueniantur, et ouaria et ſtyli in ſuperioribus floribus, licet imperfecti, tamen adſint.

BIBAI. *Plum. huc retulit Linnaeus.*

2) *DISTYLA.*

371. ATRAPHAXIS. *Linn.*

Calix diphyllus, foliolis anguſtis, acutis, perſiſtentibus; petala bina, ampliora, vndulata, perſiſtentia; ſtyli breuiſſimi; ſemen vnicum.

* * * * * * * * * * * * *

CLASSIS VII.

Plantae flore perfecto, tripetalo.

A. DIANTHERA.

MONOSTYLA.

372. KAEMPFERIA. *Linn.*

Spatha monophylla, ſuperius bifida, foliolis binis anguſtis, a latere poſitis, ex radice inter folia ampla ſurgit et ouarium complectitur; calix ouario inſidens, tubuloſus, in tres anguſtas lacinias diuiſus; petala tria, bina oblonga, tertio inferiore ampliſſimo, diuiſo; filamentum bicorne, binis antheris linearibus inſtructum; ſtylus longus, ſtigma obtuſum; fructus eſt capſula trilocularis, triualuis.

B. TRIANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

373. TAMARINDVS. *Tourn.*

Folia pinnata, absque impari extremo; calix quadrifolius; petala interſtitiis calicis inſerta; ſtamina cum ſtylo verſus quartum calicis interſtitium reflexa; fructus leguminoſus, inter membranas pulpa nigra, acida repletus; ſemina plana, anguloſa.

374. XYRIS. *Linn.*

Capitulum ſquamoſum, oblongum; flores, breui petiolo inſidentes, ex ſquamis emittit; petala patentia; ſtylus tribus tubis inſtructus; fructus ſubrotundus, trilocularis; ſemina exigua.

375. CHAMAELEA. *Tourn.* CNEORVM. *Linn.* CNESTRVM. *Sieg.*

Calix minor, tridentatus, perſiſtens; petala oblonga, concaua; ſtigma trifidum; ouarium ſit fructus tricoccos; ſemina oblonga.

376. COMMELINA. *Plum. et Dill.*

Calix communis cymbaeformis, proprius triphyllus, foliolis paruis, concauis; corolla duobus petalis maioribus, tertio vt plurimum minore conſtat, *hinc dipetala quibusdam;* ſtamina ſex, quorum tria antheras non puluerulentas, tria antheras puluere donatas obtinent; ſtylus ſimplex; fructus oblongus, trilocularis, triualvis; ſemina anguloſa.

ZANONIA. *Plum. huc referri poſſet, niſi forte aptius, ſi ſtamina accuratius definita eſſent, cum Ephemero coniungeretur.*

377. RVM-

377. RVMPHIA. *Linn.*

Calix exterior tridentatus, cui inſidet interior cylindraceus, hirſutus, cuius limbo adhaerent petala tria, obtuſa; fructus pulpoſus, coriaceus, trilocularis; ſemina triquetra.

2) *TRISTYLA.*

378. TILLAEA. *Mich. et Linn.*

Calix tripartitus; petala calice quodammodo minora; ouaria tria, ſtylis breuioribus ornata; vaginulae tres, ſeminibus paucis, rotundis foetae. *Ad Sedum retulit Vaillantius.*

C. HEXANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

379. EPHEMERVM. *Riv.* TRADESCANTIA. *Rupp. et Linn.*

Inuolucrum foliaceum, flores continens; calix triphyllus, perſiſtens; corolla roſacea; fructus trilocularis, triualuis; ſemina anguloſa.

380. BVRMANNIA. *Linn.*

Calix monophyllus, cylindraceus, tridentatus; petala tria, inter denticulos calicis poſita, ſtigmata tria; fructus trilocularis; ſemina exigua.

381. ANANAS. *Tourn.*

Radix viuax; fructificationes in conum, foliis coronatum, collecti; calix trigonus, paruus, ouario inſiſtens; petala tria, oblongo-cuſpidata, forte baſi coalita, *vnde flos multis monopetalos*; fructus eſt bacca ſubrotunda, vmbilicata; ſemina numeroſa.

PINGVIN. Dill. fructus ſeparatim, nec in

conum collecti, nec corona folioſa cincti, apparent, et ſunt turbinati, ſubtriquetri et triloculares.

BROMELIA. *Plum. cum praecedente conuenit, ſed fructus eſt ouatus.*

KARATAS. Plum. flos monopetalos, trifidus dicitur; fructus conicus, carnoſus, membrana, in quatuor partes fiſſa, cinctus et in tria loculamenta diuiſus.

BROMELIA. *Linn. Ananas et reliqua genera complectitur.*

2) *TRISTYLAE.*

382. CHAMAEROPS. *Linn.* CHAMAERIPHES. *Pont.*

Habitus Palmae; folia flabelliformia; ex foliorum alis ſurgit ſpatha bifida, compreſſa, continens ſpadicem ramoſum; calix minimus, dentatus; petala tria, concaua, acuminata; membrana ſexdentata, cui interius adhaerent antherae lineares; ouarium ex tribus ouulis, ſtylo ornatis, conſtans, ſingulum mutatur in baccam, vnico ſemine globoſo foetam. Dantur quoque flores ſtaminei tantum, in quibus forte ouula abortiunt.

383. TRIGLOCHIM. *Riv.* IVNCAGO. *Tourn.*

Folia anguſtiſſima, graminea; flores in ſpica laxiore; calix triphyllus, deciduus; corolla petalis concauis conſtans; ſtamina ſex; *an potius tria?* fructus ſemina tria, oblonga ſiſtit, quae per maturitatem ſecedunt.

3) PO-

3) *POLYSTYLAE.*

384. ALISMA. *Riv.* PLANTAGO AQVATICA. *Boerh.* PLANTAGINOIDES. *Knaut.*

Radix valde fibroſa: folia oblonga, cuſpidata, plantaginea; caulis erectus, verticillatim ramos emittens, inuolucris vniuerſalibus cinctus; calix triphyllus, perſiſtens; corolla roſacea; ouula in calice in capitulum collecta; ſtyli ſimplices; ſemina minora.

385. DAMASONIVM. *Tourn.*

Habitu et flore ad Aliſma accedit; fructus multicapſularis, ſtelliformis, vel globoſus; ſemina oblonga.

Linnaeus ad Aliſma retulit.

D. POLYANTHERAE.

1) *MONOSTYLA.*

386. POLYGALA. *Tourn.*

Flores in ſpicis homomallis diſpoſiti; calix trifidus, ſegmentis minoribus, acutis, vno poſteriore, duobus anterioribus; corolla ex duabus alis conſtat, quae tertium petalum continent, quod tubuloſum, bilabiatum eſt, labio ſuperiore ad fundum vsque ita bifido, vt tubus tantum ſit conuolutus, labio inferiore fimbriato; ſtamina filamentis in vaginam concreſcunt, antherae circiter octo; alae binae laterales, medio petalo delapſo, perſiſtunt; *hinc corolla monopetala et calix quinquifidus nonnullis dicuntur;* fructus compreſſus, bilocularis.

CHAMAEBVXVS. *Tourn.* POLYGALOIDES. *Dill.* ANONYMVS. *Rupp. optime ad praecedens genus referuntur.*

PENAEA. *Plan. quam Linnaeus huc refert, calice tetraphyllo, petalis quatuor, iisdemque figura diuerſis, forte et aliis characteribus a Polygala differt, licet fructu et aliquo floris habitu conueniat.*

2) *HEXASTYLAE.*

387. BVTOMVS. *Tourn.*

Radix viuax; folia arundinacea, triangularia, caules nudi, ſucculenti; flores in vmbella, calice triphyllo cincta; calix proprius triphyllus; petala tria, concaua; *qui calicis folia ad corollam referunt, florem hexapetalum dicunt;* ouarium ex vaginulis ſex compoſitum; ſtyli breues; vaginulae introrſum dehiſcunt et ſemina oblonga emittunt.

388. STRATIOTES. *Linn.* ALOIDES. *Boerh.*

Caulis craſſius, ſucculentus; ſpatha diphylla, ex qua flos euoluitur; ouarium ſub flore; calix monophyllus, profunde trifidus, deciduus; petala tria, calice maiora; fructus ſexlocularis, ſemina oblonga, incurua, fere alata.



CLAS-

CLASSIS VIII.
Plantae flore perfecto, tetrapetalo, regulari.
A. TETRANTHERAE.
MONOSTYLAE.
389. EPIMEDIVM. *Tourn.*

Rami ad ſingulos exortus terni, trichotomia continuata, et in foliorum exortu quoque conſpicua; calix tetraphyllus, patens, foliolis ouatis, concauis; corolla ex quatuor petalis, foliolis calicis incumbentibus, ſed tenuioribus conſtat; nectaria quatuor, tubuloſa, caeca, orificio ad thalamum directo; fructus eſt ſiliqua vnilocularis, ſemina oblonga continens.

390. TRAPA. *Linn.* TRIBVLOIDES. *Tourn.* TRIBVLVS AQVATICVS. *Rai.*

Radix longa, fibroſa, fundum aquarum petens; folia aquae innatantia; calix ouarium ſuſcipiens, quadrifidus, ſegmentis cuſpidatis, perſiſtentibus; petala oblonga, ſuperius emarginata, calice duplo longiora; ſtamina longitudine calicis, antherae biualues; ſtylus ſuperius inflexus, ſtigmate rotundo; glandulae nectariferae ſummitati ouarii in fundo floris adhaerent; fructus muricatus, durus, apice coronatus, vnico, raro duplici ſemine farinaceo foetus.

391. BRABEIVM. *Linn.*

Calix nullus; petala anguſta, tubum formantis, apice reflexa; fructus coriaceus, oblongus, villoſus, nucem ouatam continens.

Ad

Ad Amygdalum ob ſolam fructus conuenientiam retulit Breynius.

392. LVDWIGIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ouarium ſuſcipiens, quadrifidus, ſegmentis acutis, perſiſtens; petala obuerſe cordata, plana; ſtigma capitatum, quadragonum; fructus eſt capſula quadragona, quadrilocularis; ſemina parua, numeroſa.

393. AMMANNIA. *Linn.*

Calix campanulatus, octodentatus, perſiſtens; petala exigua, oblonga, fugacia; ſtigma capitatum; fructus eſt capſula ſubrotunda, quadrilocularis; ſemina parua, numeroſa.

394. VNIFOLIVM. *Rupp.* MONOPHYLLVM. *Rai.*

Folia ſingularia ex terra oriuntur, ad caulem bina, vel terna; flores in ſpica; calix nullus; corolla vt plurimum tetrapetala; ouarium ſubrotundum mutatur in fructum pulpoſum, qui ſemina bina vel terna continet.

Tournefortius ad Smilacem, Linnaeus ad Conuallariam retulit, ſed flos vere tetrapetalos eſt, non monopetalos, in quatuor partes dehiſcens.

395. CORNVS. *Tourn.*

Calix communis ex gemma erumpens, tetraphyllus, multos floſculos, pediculis tenuiſſimis inſiſtentes, complectitur; calix ouarium cingens, minimus, quadridentatus; corolla petalis acutis inſtructa; fructus oblongus, vmbilicatus, carnoſus, oſſiculum biloculare in ſingulo ſemine, oblongum.

OSSEA. *Rupp.* VIRGA SANGVINEA. *Dill.* *quae*

quae flores non in calice communi, ſed in corymbo diſpoſitos habet, nec non AXINE. *Sieg. huc referantur.*

2) DISTYLA.

396. HAMAMELIS. *Linn.*

Calix tetraphyllus, foliolis oblongis; petala anguſta, longa; fructus eſt capſula bilocularis, biualuis; ſemina ſolitaria, glabra.

3) TETRASTYLA.

397. POTAMOGETON. *Tourn.*

Planta aquatica; radix fibroſa, viuax; calix nullus; corolla ex petalis ſubrotundis, vnguiculatis, deciduis componitur; ouula quatuor, breviſſimis ſtylis inſtructa; ſemina quaterna, ſubrotunda, acuminata.

B. HEXANTHERAE.

MONOSTYLAE.

In his plantis, tum vnilocularibus, tum bilocularibus, nec non in quadriloculari Erucagine partes floris quodammodo conueniunt.

Calicis quatuor foliola ita poſita, vt conniueant, et bina petala, in vnguibus ad ſe inuicem accedentia, tegant, bina interiora oppoſita minora, exteriora quoque oppoſita maiora, baſi gibba, caua, nonnunquam nectarifera.

Petala vnguibus anguſtis inſtructa, in limbum planum expanduntur, limbi quatuor ſibi inuicem crucis inſtar opponuntur, hinc cruciati vel cruciformes Tourneſortio dicuntur.

Stamina ſex, quatuor oppoſita longiora, bina oppoſita breuiora, quoniam ad baſin ouarii, vbi adhaerent.

haerent, glandula nectarifera oppoſita eſt; cum quatuor ſtamina longiora, bina vt plurimum breviora ſint, tetradynamia appellata fuerunt in methodo Linnaei ſexuali, quia quatuor poteſtates maſculinae altiores ſunt.

Glandulae nectariferae ſi adſunt, vel binae tantum inter ſtamina breuiora et ouarium, vel aliae binae inter ſtamina longiora et calicem poſitae ſunt.

Ouarium ſimplex, ſtylo breui inſtructum, mutatur in ſiliquam biualuem, bi- vel vnilocularem; haec longior vel breuior exiſtens, effecit, vt in methodo Raiana ſiliquoſae et ſiliculoſae plantae diſtinguantur.

Generum limites ſaepe maxime ambigui, characteres enim a calicis et vnguium corollae proportione, a calicis foliolis externis deorſum gibbis, a calice et corolla patente, vel conniuente, a glandularum nectariferarum praeſentia, abſentia et numero, a ſtyli longitudine, vel abſentia, a ſtigmatum figura, deſumta, difficile definiuntur. Fructus, qui cum floribus ſaepe in eadem ſpica praeſens eſt, in proportione, ſitu et figura valuarum et ſepti, nec non in ſeminum figura et ſitu ſimul in auxilium duci poterit.

398. CRAMBE. *Linn.*

Calix tetraphyllus, patens, deciduus; corolla cruciata, nonnihil patens; filamenta apice bifida; ſtylus capitatus; fructus eſt capſula vnilocularis, biualuis, oblonga; ſemen vnicum, raro bina.

RAPISTRVM. *Tourn. Linnaeus ad Crambem refert, figura enim fructus globoſa tantum differre videtur.*

399. MYAGRVM. *Tourn.*

Calix tetraphyllus, patens, deciduus: corolla

la cruciata, nonnihil patens; capſula turbinata, biualuis; ſemen oblongum, fructui vtrinque bini loculi vacui annexi ſunt.

400. IONTHLASPI. *Tourn.* CLYPEOLA. *Linn.*

Calix tetraphyllus, perſiſtens; corolla cruciata; fructus eſt capſula clypeiformis, fere rotunda, compreſſa, biualuis; ſemen vnicum, orbiculatum, planum.

ALYSSI *Tourn. ſpecies quasdam, licet biloculares, Linnaeus partim ad Myagrum, partim ad Clypeolam refert.*

401. ISATIS. *Tourn.*

Calix tetraphyllus, patens, deciduus; corolla cruciata, patens; ſtylus breuis, capitatus; capſula oblonga, linguiata, biualuis; ſemen oblongum.

GLASTVM. *Rupp. huc referatur.*

402. RAPHANISTRVM. *Tourn.*

Calix tetraphyllus, conniuens, deciduus; corolla cruciata; ſtylus breuis, capitatus; fructus ſiliquoſus, longus, articulatus, ſemine ſubrotundo in quolibet articulo. *An inde multicapſularis dicendus?*

RAPHANISTROIDES. *Knaut. huc referatur, tanquam diſpermum.*

403. CAKILE. *Tourn.*

Flos vt in praecedenti; capſula haſtae cuſpidi ſimilis, vnilocularis, biualuis.

Raphaniſtrum et Cakile Linnaeus ad Raphanum reduxit.

404. RA-

404. RAPHANVS. *Tourn.*

Radix carnoſa, eſculenta, acris; calix tetraphyllus, conniuens; corolla cruciformis; ſtylus breuis, capitatus; fructus eſt ſiliqua, cornu ſimilis, craſſa, fungoſa, non biualuis, ſed tenui ſepto in duos loculos diuiſa; ſemina ſubrotunda.

405. BRASSICA. *Tourn.*

Folia plerumque ſinuoſa, rugoſa, glauca, carnoſa; glandulae nectariferae quatuor; fructus ſiliqua longa, cylindracea, valuis breuioribus, quam ſeptum prominens; ſemina ſubrotunda.

406. RAPA. *Tourn.*

Radix carnoſa, eſculenta, dulcis; folia viridia, aſpera; flos vt in praecedenti; ſeptum fructus valuis longius, fungoſum; ſemina ſubrotunda.

NAPVS. *Tourn. radice minore et ſapore acriore a Rapa differt.*

BVNIAS. *Lob. huc pertinet.*

Rapam et Napum ad Braſſicam refert Linnaeus.

407. ERVCA. *Tourn.*

Odor totius plantae, in primis foliorum contritorum, ſingularis, non nihil foetidus; ſapor acris, proprius; ſiliqua non nihil anguloſa, ſeptum eminens, cornu fungoſum referens, *an ad Braſſicam referri poſſet?*

Linnaeus plurimas ſpecies ad Siſymbrium retulit.

408. SINAPI. *Tourn.* SINAPIS. *Linn.*

Calix tetraphyllus, patens; corolla cruciata, vnguibus petalorum erectis; glandulae nectariferae quatuor; ſtigma capitatum, integrum; fructus ſiliqua oblonga, toroſa, ſcabra, ſepto in-

ſtar

ſtar cornu valuas ſuperante; ſemina ſubrotunda, ſapore acerrimo.

409. ERYSIMVM. *Tourn.*

Calix conniuens; corolla cruciformis, glandulae nectariferae binae; ſtylus breuiſſimus, capitatus; fructus ſiliqua teres, vel non nihil tetragona, valuis ſepto aequalibus; ſemina plurima.

Ad Siſymbrium retulit Hallerus.

410. SISYMBRIVM. *Tourn.*

Calix vt plurimum patens; corolla cruciata, petalis calice interdum minoribus, expanſis: ſtylus breuiſſimus, obtuſus; ſiliqua teres, diuerſae longitudinis, valuis ſepto paullo breuioribus; ſemina plura.

ALLIARIA. *Rai. quae a Tourn. ad Heſperides relata fuit, a Linn. ad Eryſimum, ab Hallero ad Siſymbrium refertur.*

ACCIPITRINA. *Rai.* SOPHIA CHIRVRGORVM. *Off. quae petala calice breuiora et ſiliquam longiſſimam obtinet, a Tourn. et Linn. ad Siſymbrium refertur.*

RADICVLA. *Dill. ſiliqua breuiori inſtructa ad hoc genus proxime accedit.*

BARBAREA. *I. B. et Rai. huc quoque referatur.*

411. HESPERIS. *Tourn.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata, glandulae nectariferae binae; ſtylus breuiſſimus, ſtigma bifidum, marceſcens; ſiliqua longa, compreſſa, valuis ſepto aequalibus; ſemina globoſa, ſepti fungoſi foveis impacta.

SCHELLHAMMERIA. *Heiſt. quae ſiliquis cornu cerui diuiſurae ſimilibus inſtructa eſt, huc referatur, nec non* VIOLA MATRONALIS. *H. Eyſt.*

412. CHEIRANTHUS. *Linn.* KEIRI. *Rupp.* LEVCOIVM. *Tourn.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata, glandulae nectariferae binae; ſtylus breuiſſimus, ſtigma bifidum, perſiſtens; ſiliqua longa, compreſſa; ſemina compreſſa, marginata, ſepto non fungoſo adhaerentia.

KEIRI. *Rai. quod colore floris luteo differt, et* CARENIA. *Heiſt. quae ſiliqua tricuſpidi inſtructa eſt, huc referantur.*

413. TVRRITIS. *Tourn.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breviſſimus, obtuſus; ſiliquae longiſſimae, tetragonae, erectae, cauli parallelae, *in quo habitus proprius conſiſtit;* ſemina non marginata, inciſa.

CONRINGIA. *Heiſt. quae Heſperides, vel alias congeneres plantas, ſiliqua quadrangula inſtructas, exhibet, huc referri poſſet.*

414. ARABIS. *Linn.*

Calix tetraphyllus, ſquama foliolo calicis ſingulo intus adhaerens; corolla cruciata; ſtylus breuiſſimus, ſtigma obtuſum; ſiliquae longiſſimae, ſparſae; ſemina ſubrotunda, compreſſa.

Tourn. ad Leucoii et Turritidis ſpecies refert.

415. CARDAMINE. *Tourn.*

Calix tetraphyllus, breuis; corolla cruciata; ſtylus breuis, ſtigma obtuſum; ſiliqua longa, tenuis, valuis per maturitatem inferne ſurſum reſilientibus et reuolutis; ſemina orbicularia.

416. DENTARIA. *Tourn.*

Radix ſquamoſa, carnoſa, denticulata; caulis ſimplex, non ramoſus; folia compoſita terna,

quina,

quina, ſeptena, ſuperius interdum ſimplicia; calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breuis, ſtigma obtuſum; ſiliqua longa, teres, valuis vt in Cardamine reuolutis, ſepto paululum breuioribus; ſemina orbicularia, *interdum baccae nigrae in alis foliorum.*

417. LVNARIA. *Tourn.* BVLBONAC. *Rupp.* BVLBONACVM. *Sieg.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breuiſſimus; fructus eſt ſiliqua lata, elliptica, compreſſa, valuis ſepto aequalibus, cui ſepto ſemina adhaerent reniformia, compreſſa.

418. THLASPI. *Tourn.*

Folia non laciniata, integra; calix tetraphyllus, patens; corolla cruciata; ſtylus paruus; fructus eſt ſilicula oblonga, quaſi cordata, margine foliaceo cincta, ſepto valuis aequali, valuae nauiculares.

419. BVRSA PASTORIS. *Tourn.* BVRSA. *Sieg.*

Cum praecedente conuenit, ſed capſula eſt ſilicula, triangularis, cordata, margine nullo cincta.

THLASPI. *Linn. Thlaſpi et Burſam paſtoris complectitur.*

420. BISCVTELLA. *Heb. et Linn.* THLASPIDIVM. *Tourn.* THLASPI BISCVTATVM. *Rai.*

Calix tetraphyllus, patens; corolla cruciata; fructus eſt ſilicula, cuius ſepto, in ſtylum longum perſiſtentem deſinente, valuae compreſſae, oblongae, vel ſubrotundae, vtrinque adhaerent.

LEPIDIVM. *Hall. et* PERSPICILLVM. *Heiſt. huc pertinent, forte et* SVBVLARIA. *Linn.*

421. IBERIS. *Linn.* THLASPIDIVM. *Riv.*
Calix tetraphyllus, patens; corolla cruciata, petalis binis exterioribus proximis, limbo maiore, reliquis binis interioribus, limbo minore inſtructis, hinc corolla irregularis ſola in hoc genere; ſtylus breuis; fructus ſilicula compreſſa, valuis ſepto aequalibus, nauicularibus, marginatis.
Tournefortius ad Thlaſpi refert.

422. NASTVRTIVM. *Tourn.*
Folia multifida; calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breuis; fructus eſt ſilicula, apice non nihil inciſo, valuis nauicularibus, leuiter marginatis.

IBERIS. *Matth. et Rupp. flore paruo et fugaci differt, ita, vt petala et ſtamina vix certo definiri poſſint, ob fructus tamen conuenientiam huc refertur.*

423. LEPIDIVM. *Tourn.*
Folia integra; flos vt in praecedente; fructus oblongo-cuſpidatus, apice non inciſo, valuis nauicularibus, non marginatis.

LEPIDIVM. *Linn. Naſturtium et Lepidium Tourn. coniungit.*

NASTVRTIVM. *Hall. Thlaſpi, Burſam paſtoris, Naſturtium et Lepidium Tourn. complectitur.*

424. CORONOPVS. *Knaut.*
Floſculi multi in diuiſionibus ramorum, coſtae foliorum inſident; calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breuis, capitatus, deciduus; fructus ſiliculas ſiſtit latiores, valuulis verrucoſis.
Ad Cochleariam refert Linnaeus.

425. CO-

425. COCHLEARIA. *Tourn.*

Folia vt plurimum craſſa, carnoſa; calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breuis, obtuſus; fructus eſt ſilicula, fere globoſa, leuiter compreſſa; ſemina globoſa.

ARMORACIA. *Riv. et Rupp. huc pertinet.*

426. ANASTATICA. *Linn.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata; ſtylus breuis, capitatus; fructus eſt ſilicula, cuius ſeptum in ſtylum ventricoſo ſubulatum, obliquum deſinit, valuulae inferius loculum formant, in quo ſemen ſubrotundum collocatur, ſuperius dehiſcunt et liberae concauae apparent.

Eſt Thlaſpi, Roſa de Iericho vulgo dictum.

427. VELLA. *Linn.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata: fructus fit ſilicula globoſa, criſtata, ſeptum enim, valuis duplo maius, in membranam oualem, concauam extenditur.

428. DRABA. *Dill.*

Calix tetraphyllus, patens; corolla cruciata, petalis inciſis; ſtylus breuiſſimus, capitatus; fructus eſt ſilicula oblongo-compreſſa; ſemina ſubrotunda.

Ad Alyſſum retulit Tourn.

429. ALYSSVM. *Linn.*

Calix tetraphyllus; corolla cruciata, patens; fructus eſt ſilicula ſubrotunda, valuis ſepto parallelis, hemiſphaericis, ſtylo plus minus eminente; ſemina plurima.

ALYSSOIDES. *Tourn. et* VESICARIA. *Tourn. fructu maiore, turgido, inflato differunt.*

Species, quae ſemen vnicum in loculo quolibet habent, et quae a Linnaeo ad Myagrum et Clypeolam relatae fuerunt, vtpote biloculares, huc quoque pertinent.

430. ERVCAGO. *Tourn.* BVNIAS. *Linn.*

Calix quadrifolius, caducus; corolla cruciata; fructus eſt capſula tetragona, quadrilocularis, angulis criſtatis; ſemina ſubrotunda.

Ad ſiliculoſas biloculares proxime accedit.

C. OCTANTHERAE.

1) MONOSTYLAE.

431. STRVTHIA. *Linn.*

Calix infundibuliformis, limbo quadrifido; petala plana, calici inſerta; ſtylus ſimplex; ſemen vnicum, oblique acuminatum.

432. HENNA. ALHENNA. *Shaw.* LAWSONIA. *Linn.*

Planta fruteſcens, vel arboreſcens; folia oblonga, cuſpidata; calix quadrifidus vel quinquifidus, perſiſtens; petala ſubrotunda, plana, criſpa, ex interſtitiis calicis oriunda; ſtylus incurvatus; capſula globoſa, vt plurimum vnilocularis; ſemina anguloſa.

Hennam dixi, quod nomen arabicum eſt, al tantum articulum appoſitum denotat.

433. RHEXIA. *Linn.*

Calix tubuloſus, inferne ventricoſus, quadridentatus; petala ſubrotunda, patentia; fructus eſt capſula ſubrotunda, quadrilocularis, quadrivaluis; ſemina exigua.

434. ONAGRA. *Tourn.* OENOTHERA. *Linn.*

Flos ſummitati ouarii inſidet; calix monophyllus, tubuloſus, limbo quadrifido, laciniis cuſpi-

cuſpidatis; petala plana, ampla, inciſuris calicis arcte adhaerentia; ſtigma quadrifidum ouarium ſiſtit capſulam cylindraceam, non nihil quadrangularem, quadrilocularem; ſemina angulosa.

435. CHAMAENERION. *Tourn.*
EPILOBIVM. *Linn.*

Flos ſummitati ouarii inſidens; calix tetraphyllus, deciduus; corolla roſacea; ſtigma quadrifidum, fructus eſt capſula teres, longiſſima, quadrilocularis; ſemina pappoſa.

436. RVTA. *Tourn.*

Folia diſſecta, non nihil glauca; calix breuis, quadrifidus: corolla roſacea, petalis concauis, vnguibus anguſtis; fructus fit capſula inferius ſubrotunda, ſuperius quadriloba, quadrilocularis; ſemina reniformia, anguloſa.

Flores in corymbo poſiti; medius vnam partem numeri addit.

PSEVDO-RVTA. *Mich. quae in omnibus floribus corollam pentapetalam, reliquas partes ſimili modo auctas et petala plana oſtendit, huc referri poſſet.*

437. HYPOPITYS. *Riv.* OROBANCHOIDES. *Tourn.* MONOTROPA. *Linn.*

Radix ſquamoſa, profunda; caulis ſucculentus, ſquamis minoribus veſtitus; pedunculi florum ex ſquamis ſuperioribus; calix quadrifolius, foliolis inferius anguſtis, ſuperius latioribus; corolla, petala alternatim cum calicis foliis baſi ouarii annexa, inferius excauata, nectarifera, poſtea carinata, ſuperius leuiter reflexa obtinet; fructus fit capſula oblonga, non nihil anguloſa, quadrilocularis; ſemina multa, exigua.

Flores in ſpica homomalla, ſupremus ſaepe vnicam partem numeri addit.

Foliola calicis et petala colore conueniunt, figura vero differunt.

438. OXYCOCCVS. *Tourn.*

Viticulae tenues, ſupinae; calix minimus, quadridentatus, ouarium cingens; corolla cruciata; fructus eſt bacca globoſa, pulpoſa, quadrilocularis; ſemina ſubrotunda.

Linnaeus ad Vaccinium refert.

439. GRISLEA. *Linn.*

Calix campanulatus, quadridentatus; petala ouata, parua, in inciſuris calicis; filamenta ſtaminum longiſſima; fructus ouatus, incertus.

2) *DISTYLA.*

440. MOEHRINGIA. *Linn.*

Calix tetraphyllus, patens; petala ouata, calice minora; fructus eſt capſula vnilocularis, quadriualuis; ſemina exigua.

3) *TRISTYLAE.*

441. PAVLLINIA. *Linn.*

Calix tetraphyllus, perſiſtens; petala oblonga, calice quodammodo maiora; fructus trilocularis.

SERIANA. *Plum. Capſula ſuperius tribus alis ornata, ſeminibus ad baſin poſitis.*

CVRVRV. *Plum. Capſula pyriformis, trigona, triualuis; ſeminibus carnoſis, calyptra tectis.*

Vtrumque hoc genus Plum. ob floris conuenientiam coniungit Linn.

442. CARDIOSPERMVM. *Linn.*

CORINDVM. *Tourn.* VESICARIA. *Riv.*

CARDISPERMVM. *Sieg.*

Calix tetraphyllus, perſiſtens; foliolis alternis maio-

maioribus; petala obtuſa, cum acumine, externa, quatuor alia foliola minora, nectarifera, interius poſita; fructus eſt veſica trilocularis; ſemina globoſa, cordis figura notata.

443. SAPINDVS. *Plum. et Tourn.* SAPONARIA ARBOR. *Rai.*

Calix quadrifolius, deciduus; flos roſaceus, petalis ouatis, calice minoribus; fructus ſphaericus, carnoſus, nux trilocularis; ſemina oblonga.

4) *TETRASTYLAE.*

444. ELATINE. *Linn.* POTAMOPITHYS. *Buxb.* ALSINASTRVM. *Vaill.*

Calix tetraphyllus, foliolis ſubrotundis, perſiſtens; petala obtuſa, plana; fructus eſt capſula globoſo-depreſſa, quadrilocularis, quadriualuis; ſemina lunata, exigua.

445. PARIS. *Rupp. et Linn.* HERBA PARIS. *Tourn.*

Radix fibroſa, repens; caulis non ramoſus; folia ex vno ambitu prodeuntia, lata, vt plurimum quaterna; calix quadrifolius; corolla, petala anguſta, cruciatim poſita oſtendit; fructus eſt bacca quadrilocularis; ſemina oblonga.

D. POLYANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

446. PAPAVER. *Tourn.*

Folia alterna; calix bifolius, raro trifolius, caducus; corolla roſacea, petala ampla, tenera, tenui baſi inſiſtentia; ſtamina copioſiſſima, thalamo

adhaerentia; ouarium ſubrotundum; ſtylus breuiſſimus, ſtigma peltatum; fructus ouatus vel oblongus, operculo radiato coronatus, ſub quo, in maturitate fiſſurae paruae, ſemina emittentes; ſemina copioſiſſima, lamellis lateralibus, interius fructum diſtinguentibus, adhaerentia.

447. CHELIDONIVM. *Tourn.*

Succus acer, luteus, in omni parte plantae; calix bifolius, caducus; petala oblonga, baſi anguſta inſerta; ouarium cylindraceum, ſtylus paruus capitatus; ſiliqua cylindracea, vnilocularis, biualuis; ſemina plurima, ouata.

448. ARGEMONE. *Tourn.*

Radix annua; folia laciniata, in ſpinas abeuntia; calix bifolius, raro triphyllus, deciduus; corolla roſacea, petala oblonga; ſtylus breuiſſimus, ſtigma craſſum, quadrifidum, perſiſtens; fructus eſt capſula oblonga, ſpinoſa, quadragona, vnilocularis; ſemina minima, rotunda.

Petala, ſtigmatis diuiſiones et fructus anguli quinarium, immo ſenarium numerum non raro exhibent.

449. CARYOPHYLLVS. *Linn.* CARYOPHYLLVS AROMATICVS. *Tourn.* CARYOPHYLLODENDRON. *Vaill.*

Calix inferior quadripartitus, acutus, minimus, ouarium ſuſtinens, ſuperior quadridentatus, ouarium coronans; corolla, petalis ſubrotundis inſtructa; fructus oblongus, vmbilicatus, vnicum ſemen continet.

SAGINA. *Linn. Vid. Alſinen in pentapetalis regularibus decantheris.*

450. ME-

450. MESVA. *Linn.*

Calix tetraphyllus, perſiſtens; petala rotunda, concaua, magna; ſtigma quadrifidum; fructus eſt capſula coriacea, vnilocularis, quadriualuis, quae ſemina triquetra, carnoſa continet.

451. BREYNIA. *Plum.*

Calix monophyllus, paruus, quinquedentatus, perſiſtens; petala oblonga, concaua, parva, patentia; ſtylus breuis, ſtigma obtuſum; fructus eſt legumen; ſemina reniformia.

452. GLAVCIVM. *Tourn.* PAPAVER CORNICVLATVM. *Rai.*

Calix bifolius, caducus; corolla roſacea, raro pentapetala; ouarium fit ſiliqua longa, apice bifido, hirſuto inſtructa, bilocularis, biualuis, valuis ſepto medio adhaerentibus.

Ad Chelidonium retulit Linn.

453. HYPERICOIDES. *Plum.* ASCYRVM. *Linn.*

Calix tetraphyllus, foliolis binis exterioribus minoribus, interioribus maioribus; corolla roſacea, petalis exterioribus maioribus, interioribus oppoſitis minoribus; filamenta ad baſin in quatuor corpora coalita; fructus eſt capſula oblonga, bilocularis, biualuis; ſemina exigua.

454. EVGENIA. *Mich.*

Calix monophyllus, germen complectens, quadrifidus; petala obtuſa, non nihil concaua; fructus eſt bacca quadrangularis, calice coronata, quae nucem ſubrotundam continet.

455. CA-

455. CALABA. *Plum.* CALOPHYLLVM. *Linn.*

Calix tetraphyllus, deciduus, foliolis acutis, petala ſubrotunda, concaua, patentia; fructus eſt bacca globoſa, ſimili nucleo foeta.

456. MAMMEA. *Linn.* MAMEI. *Plum.*

Calix diphyllus, deciduus, foliolis ſubrotundis, emarginatis; petala ſubrotunda, concaua, patentia; fructus eſt bacca maxima, in qua ſemina quatuor, calloſa nidulantur.

457. CHRISTOPHORIANA. *Tourn.* ACTAEA. *Linn.*

Calix nullus; corolla fugax, vt plurimum tetrapetala; ſtylus breuiſſimus, depreſſus; fructus eſt bacca ouata, duplici ſerie ſeminum ſemicircularium foeta.

458. CAPPARIS. *Tourn.*

Calix quadrifolius, foliolis concauis; corolla patens, petala ſubrotunda, marginata; ſtylus longiſſimus; fructus pyriformis, carnoſus, vnilocularis; ſemina reniformia.

459. BOCCONIA. *Plum. et Linn.*

Calix diphyllus, foliolis concauis; petala quatuor, anguſta, acuminata; ſtylus ſemibifidus; fructus eſt bacca oblonga, compreſſa, vtrinque alata, pulpa repleta; ſemina globoſa.

460. GARCINIA. *Linn.* MAGOSTANS. *Garc.*

Calix tetraphyllus, perſiſtens, foliolis ſubrotundis, concauis; petala ſubrotunda, concaua, paten-

patentia; ſtylus breuiſſimus, ſtigma peltatum; fructus eſt bacca globoſa, coronata, vnilocularis, quae ſemina anguloſa, carnoſa, villoſa continet.

461. MORISONA. *Plum. et Linn.*

Calix monophyllus, ſemibifidus; petala anguſta, extra calicem patentia; ſtigma capitatum; fructus eſt bacca, quae ſemina reniformia, nidulantia continet.

2) *DISTYLA.*

462. HELIOCARPOS. *Linn.*

MONTIA. *Houſt.*

Calix tetraphyllus, deciduus, foliolis linearibus, obtuſis; corolla calice minor, petalis ſimilibus; capſula oblongo-turbinata, bilocularis, radiis in ambitu perpendiculariter cincta.

3) *TETRASTYLA.*

463. SYRINGA. *Tourn.* PHILADELPHVS. *Rai. et Linn.*

Calix monophyllus, quadrifidus, ouarium ex parte continens; corolla roſacea, raro pentapetala; fructus eſt capſula oblonga, calice cincta, acuminata, quadrilocularis; ſemina multa, exigua.

4) *POLYSTYLAE.*

464. TORMENTILLA. *Tourn.*

Folia digitata; calix monophyllus, octofidus, laciniis quatuor maioribus, quatuor minoribus; ouula octo, ſtyli ſimplices; fructus in calice perſiſtente, octo ſemina in capitulum colligit.

Ad Quinquefolium retulit Boerhaauius.

465.

465. THALICTRVM. *Tourn.*

Radix vt plurimum fibroſa; folia lobata, vmbelliferarum aemula; calix nullus; petala quatuor, raro quinque, fugacia; antherae longae; ouula plurima, ſtylis breuiſſimis inſtructa; ſemina oblonga, in capſulis non dehiſcentibus, vel alatis, vel non alatis.

466. CLEMATIS. *Linn.* CLEMATITIS. *Tourn.*

Radix fibroſa, perennis; folia oppoſita; calix nullus; petala oblonga, rarius quinque; anthera eſt linea puluerulenta filamenti; ouula plurima, ſtylis ſimplicibus, villoſis vel ſetaceis praedita; thalamus ſemina plurima, nuda recipit.

FLAMMVLA. *Rupp. et Dill. ſemina plumulis adnaſcentibus circinnata, quaſi papposa.*

CLEMATIS. *Rupp. ſemina non plumoſa, ſeta adunca praedita habent, quae genera et*

VITICELLA. *Dill. quoque optime coniungi poſſunt.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CLASSIS IX.

Plantae flore perfecto, tetrapetalo, irregulari.

A. DIANTHERA.

MONOSTYLA.

EIPACTIS. *Hall. Vid. Hexapetalas diantheras.*

B. TE-

B. TETRANTHERAE.

MONOSTYLAE.

467. HYPECOVM. *Tourn.*

Folia tenuiter laciniata; calix diphyllus, caducus; petala trifida, irregularia; ſtylus tuba ſimplici inſtructus; ſiliqua longa, compreſſa, incurua, articulata, ſemina globoſo-compreſſa.

468. MELIANTHVS. *Tourn. et Riv.*

Calix quinquefolius, foliolis ſuperioribus oblongis, inferiori concauo, lateralibus anguſtis, *a Rivino, qui florem hexapetalum dicit, ad petala relatis*; baſis floris nectarifera, cui anterius quatuor petala vnguibus anguſtis adhaerent; ſtamina bina altiora, bina profundiora; ſtigma quadragonum; fructus tetragonus, veſicarius, quatuor eminentiis praeditus; ſemina ſubrotunda.

C. PENTANTHERA.

MONOSTYLA.

469. BALSAMINA. *Tourn.* IMPATIENS. *Linn.*

Calix exiguus, bifolius, caducus; petala quatuor, inferius calcare donatum, nectariferum, orificio ſubrotundo, ſupremum latum, poſitu labii ſuperioris, cui nonnunquam binae alae accreſcunt, *hinc flos hexapetalos in quibusdam ſpeciebus apparet*, anteriora bina, obtuſa, irregularia; ſtamina antheris leuiter coalita; fructus eſt vnilocularis, quinquevaluis, elaſticus; ſemina columnulae adnata.

BALSAMINA. *Riv. Fructus turgidus, oblongus; ſemina rotunda.*

IMPA-

IMPATIENS. *Riv.* BALSAMINOIDES. *Sieg. Fructus tenuior; ſemina oblonga.*

D. HEXANTHERAE.

MONOSTYLAE.

470. CLEOME. *Linn.* SINAPISTRVM. *Tourn. et Riv.*

Folia ternata vel quina digitata, calix tetraphyllus, deciduus; petala inaequalia, ſurſum erecta; ſtamina vt plurimum ſex, deorſum inclinata; ſtylus ſimplex; ſiliqua cylindracea, vel compreſſa, ſeminibus ſubrotundis foeta.

IBERIS. *Linn.* THLASPIDIVM. *Riv. vid. in regularibus tetrapetalis, hexantheris.*

471. FVMARIA. *Linn.*

Folia laciniata; calix vel bifolius, deciduus, vel nullus; labium ſuperius calcare donatum, ſuperius planum, emarginatum, vexillo ſimile, alae binae conniuentes, carina vt labium inferius poſitum, ſuperiori ſimile, nullo calcare donatum; filamenta bina, ſuperius trifida, ſuſtinent antheras ſex; ſtigma compreſſum; fructus varius, cuius differentia ſequentibus generibus conſtituendis anſam dedit.

FVMARIA. *Riv. et Off. ſilicula rotunda breuis, vnum ſemen continens.*

PSEVDO-FVMARIA. *Riv.* SPLIT. *Rupp. Siliquae oblongae, compreſſae; ſemina ſplendentia.*

PSEVDO-FVMARIA. *Knaut. labium ſuperius et inferius bifidum; ſiliquae compreſſae.*

SPLIT. *Knaut. labium inferius integrum; ſiliqua quadragona.*

CAPNOIDES. *Tourn. ſiliqua longa, teres, biualuis, filamentum ſemina recipiens.*

CYSTICAPNOS. *Boerh.* CORYDALIS. *Knaut. fructus triualuis, intra calicem inſlatum, veſicarium contentus.*

CAPNORCHIS. *Boerh. ſilicula Fumariae; labium inferius calcare eminente praeditum.*

Knautius Fumarias ad dipetalas refert, filamenta in nonnullis in vnam membranam, ouarium inuoluentem, coaleſcunt.

E. DECANTHERAE.

In his conuenientia plurium characterum, genus quoddam naturale conſtituit.

Calix vt plurimum eſt monophyllus, quinquifidus, irregularis, ſegmenta tamen et figura in variis varia inueniuntur.

Petala quatuor, figura et diſpoſitione irregularia, in claſſem tetrapetalorum irregularium Riuini reducunt, et Tournefortius Papilionaceas dixit.

Vexillum eſt petalum maius, ſupremum.

Alae binae ſunt petala lateralia, minora.

Carina eſt petalum infimum, concauum, vngue interdum diuiſum; ſi vero carina dipetala eſt, tunc ex methodo noſtra ad pentapetalas refertur.

Stamina decem, filamentis ſuis coaleſcunt, et quidem vt plurimum nouem in vaginam, piſtillum inuoluentem, cui ſuperius incumbit decimum, hinc Diadelphia Linnaei.

Piſtillum ouarium tenue exhibet, cui ſtylus inſiſtit, ſtigmate vario, inprimis villoſo ornatus.

Fructus ſit legumen, hoc eſt capſula biualuis, ſeminibus ad ſuturam inferiorem adhaerentibus, hinc plantae leguminoſae Raio dicuntur. Legumen tamen

men eſt vel vniloculare, vel ſepto diuiſum, biloculare.

1. *VNILOCVLARES.*

472. ONOBRYCHIS. *Tourn.*

Folia pinnata, extremo impari; flores denſe ſpicati; calix ſemiquinquifidus, perſiſtens, irregularis; vexillum compreſſum, longum, alae anguſtae, carina ad baſin bifida; fructus eſt legumen breue, echinatum vel criſtatum; ſemen reniforme.

Linnaeus ad Hedyſarum retulit.

473. TRIFOLIVM. *Linn.*

Folia ternata; calix tubuloſus, breuis, quinquedentatus; vexillum reflexum, alae breues, carina minima; legumen breue, ſemina pauca, reniformia continens.

Sequentia genera ad Trifolium referenda ſunt, nam modus florendi in capitulis globoſis, item ſpicis, calix plus minus profunde diuiſus, vel irregularis, proportio petalorum et coaleſcentia in monopetalos flores, legumen intra calicem contentum, vel emiſſum, et reliqui characteres, certos limites non exhibent.

TRIFOLIVM. *Tourn.* TRIPHYLLVM. *Sieg. legumen calice reconditum.*

MELILOTVS. *Tourn. legumen extra calicem prominens.*

MELILOTOIDES. *Heiſt. fructus planus et orbiculatus.*

MELILOTOSMVS. *Sieg. legumina cylindracea; color floris violaceus.*

LVPVLINVM. *Riv. corolla perſiſtens, marcida.*

LAGOPVS. *Tourn. calix villoſus.*

TRI-

TRIFOLIOIDES. *Knaut.* TRIPHYLLOIDES. *Pont. et Sieg. vngues petalorum in tubum coaliti.*

TRIPHYLLOIDES. *Knaut. legumina breuia, polyſperma.*

TRIFOLIVM. *Knaut. legumina monoſperma.*

ASPHALTION. *Knaut.* TRIFOLIASTRVM. *Mich. legumina extra calicem eminentia.*

TRIPHYLLVM VESICARIVM. *Knaut. calices in veſiculas turgidas mutati.*

LVPINASTER. *Buxb. qui idem cum* LVPINASTRO *Amm. eſt, a Linnaeo huc refertur, ob habitum et folia quinata, potius ad Dorycnium referri meretur, ab vtrisque tamen leguminibus longioribus differt.*

474. DORYCNIVM. *Tourn. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquedentatus, perſiſtens; vexillum reflexum, maius, alae paruae, carina recta; legumen paruum, vno alteroque ſemine reniformi foetum.

CORYLIFOLIA. *Heiſt.* LOTOIDES. *Sieg. forte huc referri poſſet.*

475. ANTHYLLIS. *Riv. et Linn.* VVLNERARIA. *Tourn.*

Calix monophyllus, tubuloſus, inflatus, quinquedentatus; vngues petalorum longitudine calicis, vexillum maius, lateribus reflexis, alae et carina breues; ſemen vnum alterumque reniforme.

BARBA IOVIS. *Tourn. partim ad Dorycnium, partim ad Anthyllidem a Linnaeo optime refertur.*

VVLNERARIA. *Knaut. legumina monoſperma.*

ANTHYLLIS. *Knaut. legumina diſperma continet.*

476. ACHYRONIA. *Roy. et Linn.*

Planta fruteſcens: folia ex eadem gemma plura, calix monophyllus, ſemiquinquifidus, ſegmento ſuperiore longiore; vexillum compreſſum, obtuſum, cum acumine, alae breuiores, obtuſae, carina bifida; legumen breue, oblongum; ſemen vnum vel alterum reniforme.

477. GENISTA. *Linn* SPARTIVM. *Tourn.*

Calix paruus, quinquedentatus, perſiſtens, vel irregularis; vexillum reflexum, alae oblongae, patulae, carina longior; legumen breue, vnum alterumque ſemen reniforme continet.

GENISTELLA. *Tourn. et Boerh. foliorum partes articulatione ſibi mutuo innatas obtinet, et huc referri meretur.*

478. CYTISVS. *Tourn.*

Folia ternata vel pinnata; planta arboreſcens vel fruticoſa; calix baſi obtuſa, monophyllus, quinquifidus, bilabiatus; vexillum ouatum, lateribus reflexis, alae obtuſae, longitudine vexilli, carina acuminata, legumen oblongum, planum; ſemina compreſſa, reniformia.

LABVRNVM. *Riv. et Rai. quod leguminibus in anteriori parte tenerioribus, ad pedunculos anguſtioribus, et foliis pinnatis differt, huc referatur.*

ASPHALATVS. *Amm. forte ad Cytiſum referri poſſet.*

479. LENS. *Tourn.*

Folia pinnata, coſta in viticulum deſinente; calix quinquifidus, ſegmentis acutis; vexillum planum, alae breues, carina breuiſſima; legumen breue, compreſſum, ſemina orbiculata, vtrinque conuexa continet.

Craccae ſpecies Riuini huc referri poſſunt. Linnaeus cum his Craccis ad Cicer retulit.

480. CICER. *Tourn.*

Folia pinnata, denticulata; flores ex alis foliorum; calix quinquifidus, ſegmentis longis, acutis; vexillum planum, magnum, alae obtuſae, breues, carina breuiſſima; legumen breue, inſtar veſicae inflatum, ſemina quaedam craſſa continens.

481. ASTRAGALOIDES. *Tourn.* PHACA. *Roy. et Linn.*

Habitus Aſtragali; calix monophyllus, quinquedentatus; vexillum maius, alae obtuſe, breuiores, carina breuis, obtuſa; legumen oblongum, inflatum, rectum vel recuruum; ſemina reniformia.

482. ERVVM. *Tourn.*

Folia pinnata, coſtae, in mucronem abeunti, adnata; flos Ciceri ſimilis; legumen nodoſum, vndulatum; ſemina globoſa.

483. ARACHIS. *Linn.* ARACHIDNA. *Plum.*

Calix monophyllus, bilabiatus, ſegmentis acutis; vexillum maximum, emarginatum, alae breuiores, carina breuiſſima: legumen oblongum, teres, craſſum; ſemina oblonga, obtuſa.

ARACHIDNOIDES. *Niſſ. huc quoque refer Linnaeus.*

484. CROTALARIA. *Riv. et Linn.*

Folia varia, pediculis non foliatis; planta non ſpinoſa; calix tripartitus, ſegmento tertio ad

 cari-

carinam poſito, tridentato; vexillum amplum, alae et carina minores; legumen breue, turgidum, ſonitum inſtar crotali edens; ſemina reniformia.

CROTALARIA. *Tourn. ſpecies folio ſingulari complectitur, reliquas ad Anonidem refert.*

485. ANONIS. *Tourn.* ONONIS. *Linn. et Sieg.*

Folia ternata, interdum circa ſummitatem ramorum ſingularia, marginibus dentatis; calix monophyllus, magnus, quinquifides; vexillum maius, cordatum, alae breuiores, carina alis quodammodo longior, acuminata; legumen turgidum, villoſum; ſemina reniformia.

NATRIX. *Riv.* ONONIDEA. *Sieg. Flores et legumina e longiori pedunculo dependentes habet, hinc, niſi huc referre velis, ad Crotalariam reiicias.*

486. VICIA. *Linn.*

Calix tubuloſus, ſemiquinquifidus, irregularis; petalorum vngues longiores, vexillum ouale, lateribus reflexis, alae vexillo breuiores, oblongae, carina breuior, vngue diuiſo; legumen longum.

VICIA. Tourn. folia pinnata, coſta in claviculam abeunte; ſemina ſubrotunda.

VICIA. *Riv. flores ex alis foliorum ſingulares vel plures, breuibus pedunculis inſidentes.*

CRACCA. *Riv.* ARACUS. *Rai. flores in pedunculo communi, ex alis foliorum orto, in ſpicam digeſti.*

FABA. Tourn quam Linnaeus ad Viciam retulit, caules anguloſos, firmos; folia pinnata, coſta in viticulum deſinente; legumen erectum, fungoſum; ſemina ouata, compreſſa, quaſi reniformia obtinet.

487. PISVM. *Linn.*

Calix monophyllus, irregularis, quinquifidus; vexillum amplum, reflexum, alae vexillo breuiores, carina alis breuior, ſemilunata, vngue non diuiſo; ſtylus aſcendens, triangularis, ſtigma villoſum; legumen longum, vel teretiuſculum vel compreſſum; ſemina globoſa.

PISVM. *Tourn. caulis inferius fiſtuloſus; folia pinnata, pinnis ad caulem ampliſſimis, coſta in clauiculas deſinente.*

OCHRVS. *Tourn. folia modo ſimplicia, modo articulata, clauiculis terminata.*

Haec bina genera coniungit Linnaeus.

488. LATHYRVS. *Linn.*

Calix ſemiquinquifidus, irregularis; vexillum magnum, reflexum, alae breuiores, lunulatae, carina ſemiorbiculata, longitudine alarum, vngue integro; ſtylus planus, ſtigma villoſum; legumen cylindraceum, vel compreſſum; ſemina globoſa vel anguloſa.

LATHYRVS. *Tourn. caulis compreſſus et anguloſus, coſta margine folioſo inſtructa, folia bina coniugata, coſta in viticulum abeunte.*

CLYMENVM. *Tourn.* LATHYROIDES. *Sieg. folia pinnata, coſta in viticulum abeunte.*

APHACA. *Tourn. folia bina quaſi triangularia, ad caulium nodos poſita, clauiculae ex alis prodeuntes; ſemina ſubrotunda.*

NISSOLIA. *Tourn.* CATANANCE LEGVMINOSA. *Rai.* OCHROIDES. *Sieg. folia ſimplicia, viticulis deſtituta.*

489. OROBVS. *Tourn.*

Folia pinnata, coſtae, in mucronem abeunti, adnata; calix tubuloſus, baſi obtuſa, quinque-

 denta-

dentatus; vexillum ſemicylindricum, cordatum, alae oblongae, longitudine vexilli, carina vngue bifido, ventricoſa; legumen longum, teres; ſemina ſubrotunda.

OROBOIDES. *Knaut. ob ſiliquas erectas diſtinguitur.*

LATHYROIDES. *Amm. Folia coniugata, coſtulae breui, ad caulem auritae, in mucronem abeunti, adnata; ſemina globoſa.*

490. LOTVS. *Tourn.*

Folia ternata, ad exortum petioli binis foliolis ornata; calix tubuloſus, ſemiquinquifidus; vexillum ſubrotundum, deflexum, alae ſubrotundae, conniuentes, carina acuminata, alis breuior; legumen cylindraceum, variae formae; ſemina ſubrotunda, interdum fungoſa medulla diſtincta.

TETRAGONOLOBVS. *Riv. Flores ex ſingulis foliorum alis ſinguli; legumina quadrangula, membranis longitudinalibus ad angulos ornatis.*

491. PHASEOLVS. *Linn.*

Folia ternata; habitus plantae volubilis et ſcandens; calix quinquedentatus, irregularis; vexillum cordatum, lateribus reflexis, alae ouatae, longitudine vexilli, carina ſpiraliter conuoluta, anguſta; legumen longum; ſemina reniformia.

492. DOLICHOS. *Linn.*

Habitus Phaſeoli; carina lunulata, compreſſa; ſemina elliptica, compreſſa.

493. CLITORIA. *Linn.*

Habitus Phaſeoli; folia interdum pinnata; vexillum maximum, inferius poſitum, alas et carinam

rinam breuiores quaſi inuoluens; legumen longum; ſemina reniformia.

TERNATEA. *Tourn. quae folia pinnata obtinet, huc referatur.*

494. LVPINVS. *Tourn.*

Folia digitata; flores in ſpica verticillata; calix monophyllus, bifidus, annexis vt plurimum a latere duobus foliolis minoribus; vexillum ſubrotundum, lateribus reflexis, alae ſubouatae, carina baſi diuiſa, falcata; legumen magnum, oblongum, compreſſum; ſemina ſubrotunda, compreſſa.

495. ROBINIA. *Linn.* PSEVDO-ACACIA. *Riv. et Tourn.* LABVRNVM. *Sieg.*

Folia pinnata, extremo impari; planta arborea, vel fruticoſa; calix breuis, quinquedentatus; vexillum maius, obtuſum, alae ouatae, liberae, carina longitudine alarum, ſemiorbiculata, compreſſa; legumen longum, compreſſum, planum; ſemina reniformia.

CARAGANA. *Sieg. floribus paucioribus et leguminibus teretibus a praecedente differt.*

496. TRIGONELLA. *Linn.*

Folia ternata; calix monophyllus, quinquifidus; vexillum obtuſum, patens, alae binae extrorſum patentes, cum vexillo corollam tripetalam regularem ſiſtentes, carina breuis, in medio conſtituta; legumen longum, compreſſum; ſemina ſubrotunda et anguloſa.

BVCERAS. *Knaut. quae eſt Foenu graeci Tourn. et Riv. ſpecies, ſiliquis erectis, ſingularibus, ſeminibus ſeſamaceis praedita, huc referri meretur.*

497. GALEGA. *Tourn.*

Folia pinnata, extremo impari; flores in ſpicis, ex alis foliorum ortis, penduli; calix monophyllus, breuis, quinquifidus; vexillum maius, reflexum, alae oblongae, longitudine vexilli, carina oblonga, compreſſa; legumen teres; ſemina oblonga, reniformia.

INDIGO. *Iſn. huc refert Linnaeus.*

498. ERYTHRINA. *Linn.* CORALLODENDRON. *Tourn.* CORAL. *Dill.*

Planta arboreſcens; folia ternata; calix monophyllus, compreſſus, margine leuiter quinquedentato; vexillum longum, cuſpidatum, enſiforme, alae et carina breuisſimae, calicem non ſuperantes: ſtamina intra vexillum latitantia; legumen longiſſimum, ad ſemina tuberculatum; ſemina reniformia.

Deſcriptio conuenit ſpeciei non ſpinoſae; ſpinoſa vero vexillum amplum, reflexum, quodammodo concauum, alae et carina calicem quodammodo ſuperant, ſtamina recurua extra vexillum eminent.

499. AESCHYNOMENE. *Linn.*

Calix monophyllus, bilabiatus, irregularis; vexillum maius, alae obtuſae, breuiores, carina lunulata, filamenta decem, ad baſin in duo corpora coalita, quinque antherae in ſingulo corpore conſtitutae; legumen longum, compreſſum, articulatum; ſemina reniformia.

500. CORONILLA. *Linn.*

Folia pinnata, extremo impari, pedunculi ex alis foliorum, flores in capitulum collectos ſuſtinent; calix breuis, monophyllus, bilabiatus, quinquedentatus; vexillum cordatum, reflexum,

alae

alae ouatae, ſurſum conniuentes, carina compreſſa, acuminata; legumen longiſſimum, variae figurae.

Complectitur igitur tria genera Tournefortii:

CORONILLA. *Tourn. legumen teres, articulatum; ſemina oblonga.*

EMERVS. *Tourn. vngues corollae calice longiores; legumen teres, tenue; ſemina cylindracea.*

SECVRIDACA. Tourn. et Riv. legumen compreſſum, cuſpidatum, articulatum, ſutura altera tenui, altera latiore; ſemen rhomboideum, introrſum emarginatum.

501. SCORPIVRVS. *Linn.* SCORPIOIDES. *Tourn.*

Folia ſimplicia; calix monophyllus, paruus, ſemiquinquifidus; vexillum ſubrotundum, emarginatum, alae oblongae, carina lunulata; legumen articulatum, vel rugoſum, vel hiſpidum, erucam in ſe conuolutam referens; in ſingulo articulo ſemen ouatum.

CAMPOIDES. *Riv. non niſi legumine craſſiore et rugoſo differt.*

502. ORNITHOPODIVM. *Tourn.* ORNITHOPVS. *Linn.*

Folia ternata vel pinnata, extremo impari; calix paruus, quinquedentatus; vexillum cordatum, alae ouatae, carina compreſſa; legumina articulata, falcata, multa ad eundem exortum, ſpeciem pedis auiculae formant; ſemen in quolibet articulo rotundum.

SCORPIOIDES. *Riv.* ORNITHOPODIOIDES. *Heiſt. folia ternata, ſeſſilia obtinet, et huc refertur.*

503.

503. HIPPOCREPIS. *Linn.* FERRVM EQVINVM. *Tourn.* HIPPOPODIVM. *Sieg.*

Folia pinnata, extremo impari: calix paruus, quinquedentatus; vexillum cordatum, alae oblongae, carina lunulata; legumen vel articulatum, vel non articulatum, vndulatum; ſemina lunulata, vel ſoleam equinam referentia.

504. HEDYSARVM. *Tourn.*

Folia pinnata, ternata et ſimplicia; calix ſemiquinquifidus, perſiſtens, irregularis; vexillum compreſſum, longum, alae anguſtae, carina truncata, ad baſin biſida; legumen articulatum, articuli echinati vel laeues; ſemina reniformia.

ALHAGI. *Tourn. folia ſingularia, alterna obtinet, et optime a Linnaeo huc refertur.*

MEIBOMIA. *Heiſt.* HEDYSAROIDES. *Sieg. folia ternata obtinet et optime huc refertur.*

505. MEDICAGO. *Linn.*

Folia ternata; flores ſingulares, vel plures ex alis foliorum; calix ſemiquinquifidus, paruus; vexillum oblongum, reflexum, alae oblongae, ſub carina conniuentes, carina oblonga, reflexa; legumen falcatum vel contortum; ſemina reniformia.

Complectitur igitur ſequentia genera:

MEDICAGO. Tourn. legumen falcatum, membrana auctum.

MEDICA. Tourn. legumen falcatum, vel conuolutum variae formae.

FOENVGRAECVM. Tourn. TRAGOCEROS. *Sieg. illas ſcilicet ſpecies, quae legumen falcatum obtinent.*

Medicam Tourn. Rivinus ex figura fructus vlterius diſtinguit. FAL-

FALCATA. *Riv. legumen inſtar cornu arietini contortum.*

COCHLEATA. *Riv. legumen diuerſis gyris con volutum, inſtar cochleae, glabrum.*

ECHINATA. *Riv. legumen ſimile, ſpinulis obſitum.*

MEDICA. *Hall. omnia haec genera complectitur, exceptis Foenugraeci ſpeciebus.*

506. COLVTEA. *Tourn.*

Folia coniugata, extremo impari; flores ex alis foliorum; calix quinquedentatus; corolla in petalorum figura et proportione varia; legumen membranaceum, inſtar veſicae inflatum, turgidum; ſemina reniformia.

507. SECVRIDACA. *Linn.*

Calix tripartitus, ſegmentis ouatis; vexillum ſubrotundum, alae obtuſae, carina lunulata; fructus ſubrotundus, in membranam expanſus, vno ſemine foetus.

2. *BILOCVLARES.*

508. ASTRAGALVS. *Tourn.*

Folia pinnata, impari extremo; calix monophyllus, quinquedentatus, irregularis; vexillum longum, lateribus reflexis, alae oblongae, breuiores, carina emarginata; legumen variae formae, biloculare, ſepto valuis parallelo; ſemina reniformia.

EPIGLOTTIS. *Knaut. legumen epiglottidis figuram habet.*

GLAVX. *Riv.* ASTRAGALOIDES. *Knaut. legumen breue, tumidum, inſtar veſicae inflatum, obtinet;*

obtinet; cum figura leguminis in aliis quoque ſpeciebus variet, huc referantur.

509. PELECINVS. *Tourn.* VTRINQVE SERRATA. *Riv.* BISERRVLA. *Linn.*

Folia pinnata, extremo impari; calix monophyllus, ſemiquinquifidus, irregularis; vexillum maius, lateribus reflexis, alae obtuſae, vexillo breuiores, carina obtuſa; legumen compreſſum, biloculare, vtrinque ſerratum, ſepto valuis contrario; ſemina reniformia.

510. APIOS. *Tourn.* GLYCINE. *Linn.*

Calix monophyllus, bilabiatus, quinquedentatus; vexillum cordatum, lateribus reflexis, alae obtuſae, carina falcata; legumen oblongum, biloculare; ſemina reniformia.

F. POLYANTHERA.

511. TAPIA. *Plum.* CRATEVA. *Linn.*

Calix tetraphyllus, foliolis ex baſi ampla acuminatis; petala ouata, ſurſum erecta, irregularia; ſtamina multa, cum piſtilio deorſum inclinata; ſtylus ſimplex, ſtigma capitatum; fructus eſt bacca vnilocularis, in qua plurima ſemina reniformia nidulantur.

CLAS-

CLASSIS X.

Plantae flore perfecto, pentapetalo, regulari.

A. TRIANTHERA.

MONOSTYLA.

512. HIRTELLA. *Linn.*

Planta arborea; calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens: corolla roſacea, petala parva; filamenta longiſſima; ſtylus filiformis; fructus eſt bacca oualis, vnico ſemine foeta.

B. PENTANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

513. LAGOECIA. *Linn.* CVMINOIDES. *Tourn.*

Radix fibroſa, annua; folia pinnata; floſculi aggregati in calice communi, octophyllo, foliolis pinnatis, ciliatis inſtructo; in floſculis ſingulis, calix inferior ſub ouario tetraphyllus, foliolis inciſis, calix ſuperior, ouarium ambiens, quinquifidus, laciniis inciſis; corolla petalis bicornibus inſtructa; ſemen oblongum, nudum, calice ſuperiore, perſiſtente coronatum, quaſi papposum.

514. BRVNIA. *Linn.*

Calix communis imbricatus, e ſquamulis acuminatis, quae floſculos ſuſcipiunt, compoſitus; calix proprius, pentaphyllus, villoſus, breuis;

petala

petala vnguibus anguſtis, limbis ſubrotundis, patentibus praedita; ſemina intra calicem imbricatum, ſolitaria, villoſa.

515. CELOSIA. *Linn.*

Spicae florum denſae, non raro criſtatae, paleis potius, quam veris floſculis ſuperius poſitis, inferius veris floſculis; calix triphyllus; corolla perſiſtens, petalis acuminatis; capſula globoſa, vnilocularis, horizontaliter dehiſcens; ſemina ſubrotunda.

Ad Amaranthum retulit Tournefortius.

STACHYARPAGOPHORA. *Vaill. huc quoque a Linnaeo refertur.*

516. PARNASSIA. *Tourn.* GRAMEN PARNASSI. *Rai.*

Folia ſubrotunda, in orbem poſita; calix pentaphylloides; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, concauis, ſquamae quinque, radiatae, radiis in apice globoſis, nectariferis, intra corollam poſitis; ſtylus breuiſſimus, ſtigmata quatuor; fructus eſt capſula ouata, vnilocularis, quadrivaluis; ſemina oblonga.

517. TELEPHIVM. *Tourn.*

Folia alterna, calix quinquefolius; corolla roſacea; ſtylus breuiſſimus, trifidus; capſula trigona, vnilocularis, triualuis; ſemina ſubrotunda.

518. TAMARISCVS. *Tourn.* TAMARIX. *Linn.*

Folia tenuiſſima, cupreſſinis ſimilia; flores in ſpica; calix paruus, quinquifidus; corolla roſacea, petalis ouatis; ſtylus breuiſſimus, trifidus, reuo-

reuolutus; capſula acuminata, vnilocularis, triualuis; ſemina pappoſa.

519. WALTHERIA. *Linn.* MONOSPERMALTHAEA. *Iſn.*

Calix monophyllus, ſemiquinquifidus, perſiſtens; petala cordata, patentia; filamenta ſtaminum in cylindrum coalita; ſtigma bifidum; capſula vnilocularis, biualuis; ſemen vnicum, obtuſum.

520. GRONOVIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ouarium complectens, profunde quinquifidus; petala minutiſſima, ex inciſuris calicis oriunda; ſtamina calici adnata, cum petalis alterna; ſtigma obtuſum; capſula ſubrotunda, vnilocularis; ſemen vnicum, magnum.

521. CLAYTONIA. *Linn.*

Calix biualuis, perſiſtens, foliolis obtuſis, erectis; petala oblonga, magna; capſula ſubrotunda, vnilocularis; ſemina ſubrotunda.

522. HERMANNIA. *Tourn.*

Calix monophyllus, tumidus, ſemiquinquifidus; petala inferius anguſta, membrana vtrinque reflexa, tubum quaſi formante, aucta, limbo lato, conuoluto; capſula pentagona, quinquelocularis, quinquefariam dehiſcens; ſemina exigua.

523. XYLON. *Linn.* CEIBA. *Plum.*

Calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; petala ouata, emarginata, concaua; ſtigma capitatum; capſula oblongo-turbinata, quinquelo-

 cularis,

cularis, quinqueualuis; ſemina lanugini affixa, ſubrotunda.

524. CELASTRVS. *Linn.* EVONYMOIDES. *Iſn.*

Folia alterna; calix monophyllus, planus, ſemiquinquifidus; corolla roſacea, petalis ouatis; ſtylus trifidus; fructus eſt bacca globoſo-trigona, trilocularis; ſemina tria, pulpae immerſa.

525. VITIS. *Tourn.*

Planta capreolis ſcandens; flos et fructus in racemis; calix quinquedentatus, minimus; corolla ex petalis, apice non nihil coalitis, conſtans, decidua; ſtylus breuiſſimus; fructus fit bacca ſucculenta, vnilocularis, ſubrotunda; ſemina quatuor, ferme pyriformia.

526. HEDERA. *Tourn.*

Planta cirris paraſiticis arboribus et parietibus adhaerens et ſcandens; flos in vmbella ſimplici; calix vmbellae multidentatus, calix proprius ouarium complectens, quinquedentatus; corolla roſacea, non raro hexapetala, petalis oblongis, apice reflexis, patentibus; bacca globoſa, ſeminibus ab vna parte gibbis, ab altera planis foeta.

527. EVONYMVS. *Tourn.*

Calix monophyllus, quadrifidus vel quinquifidus; corolla roſacea, petalis quatuor vel quinque patentibus; ſtamina non raro quatuor; fructus membranaceus, angulatus, ex quatuor vel quinque capſulis coalitus, in quibus ſemina, pulpae inuoluta, haerent.

Noſtra

Noſtra Euonymi ſpecies numerum quaternarium vtplurimum oſtendit.

2) *DISTYLAE.*

528. ERYNGIVM. *Tourn.*

Folia in caule alterna; caules glabri; calix communis polyphyllus, foliolis acutis, rigidis, longiſſimis; floſculi aggregati in thalamo paleaceo; ouarium ſub flore poſitum, calice pentaphyllo coronatum; corolla roſacea, petalis introrſum reflexis; ſemina bina, latere plano contigua.

Ad plantas vmbelliferas propius accedit.

529. PHYLLIS. *Linn.* BVPLEVROIDES. *Boerh.*

Folia integra, bina, terna, caulis nodis coniugatim adnata; flores ex alis foliorum in thyrſum collecti; ouarium ſub flore; calix minimus, diphyllus; corolla pentapetala, non monopetala, petalis reuolutis; ſemina bina, latere plano contigua.

Valerianellis annumerat Dill. in H. Eltham.

Ad plantas vmbelliferas propius accedit.

530. HEVCHERA. *Linn.*

Calix monophyllus, ſemiquinquifidus, ſegmentis obtuſis; petala anguſta, margini calicis inſerta; ſtyli duo; capſula bilocularis, ſemibifida; ſemina copioſa, parua.

531. STAPHYLODENDRON. *Tourn.* STAPHYLAEA. *Linn.*

Calix monophyllus, concauus, quinquifidus, marceſcens; corolla roſacea, petalis oblongis; capſula membranacea, bilocularis, interdum tri-

 locu-

locularis, veſicae inſtar inflata, continet oſſicula globoſa, ſemine ſimili foeta.

532. ARALIASTRVM. *Vaill.* PANAX. *Linn.*

Floſculi in vmbella, calice communi cincta; calix quinquepartitus, ouario inſidens; corolla roſacea, petalis oblongis; fructus fit bacca, duobus ſeminibus reniformibus foeta.

533. RIBES. *Linn.*

Calix ouario inſidens, monophyllus, quinquifidus; petala minima, ſegmentis calicis inſerta; *hinc aliis flos dicitur monopetalus, calice pro corolla aſſumto;* bacca globoſa, vmbilicata; ſemina multa, exigua.

RIBES. *Tourn.* RIBESIVM. *Dill. flores et fructus in racemis; calix plus minusue expanſus.*

GROSSVLARIA. *Tourn. flos ſolitarius ex alis foliorum; calix magis campanulatus.*

3) *TRISTYLAE.*

534. COTINVS. *Tourn.*

Folia rotunda, in longis petiolis; calix exiguus, quinquifidus; corolla roſacea; fructus orbicularis, duro et impartibili putamine tegens ſemen triangulare.

535. RHVS. *Linn.*

Calix exiguus, quinquifidus; flores racematim creſcentes; corolla roſacea; fructus coriaceo inuolucro veſtitus, villoſus; ſemen vnicum, oblongum.

TOXICODENDRVM. *Tourn. fructu glabro, ſtriato tantum diuerſum, huc pertinet.*

SVMACH. *Rai. huc quoque referatur.*

VERNIX.

VERNIX. *Kaempf. Linnaeus huc quoque retulit.*

536. CORRIGIOLA. *Linn.* POLYGONIFOLIA. *Dill.*

Calix quinquefolius: corolla roſacea, petalis ouatis; ſemen triquetrum, calice perſiſtente comprehenſum.

CORRIGIOLA. *Dill.* ILLECEBRVM. *Linn.* ILLECEBRA. *Rupp. Paronychiae ſpecies Vaill. ſi corollam habet, ad hanc proxime accedit, ſi apetala eſt, alibi collocanda. Deſcriptiones auctorum imperfectae.*

537. TVRNERA. *Plum. et Linn.*

Calix externus monophyllus, bifidus, perſiſtens, internus infundibuliformis, quinquifidus; petala vnguibus anguſtis calici inſerta, limbis erecto-patentibus, amplis; ſtigmata capillacea, multifida; fructus eſt capſula vnilocularis, triualuis; ſemina oblonga, obtuſa.

538. MAVROCENIA. *Linn.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus; petala minima; ſtyli tres, breuiſſimi; fructus eſt bacca oblonga, tribus ſeminibus foeta.

539. GRANADILLA. *Tourn.* PASSIFLORA. *Linn.*

Calix inferior triphyllus, ex quo pedunculus florem ſuſtinens, calix ſuperior pentaphyllus; corolla roſacea; corona filamentorum nectariferorum piſtillum cingens; thalamus, in columnam extenſus, ouarium ſuſtinet, ad cuius baſin ſtamina quinque, antheris incumbentibus, ſtyli capitati; fructus ouatus, nonnihil carnoſus; ſemina membrana inuoluta continet.

MVRVCVIA. *Plum. et Tourn. membranam conicam, truncatam, loco coronae filamentoſae oſtendit et a Linnaeo ad praecedens genus refertur.*

4) *PENTASTYLAE.*

540. STATICE. *Tourn.*

Radix fibroſa, perennis; folia graminea; caulis nudus, prope calicem tubo membranaceo obuolutus; calix communis, membranaceus, ſquamoſus, hemiſphaericus, floſculos comprehendens aggregatos, calix proprius infundibuliformis, limbo integro, plicato; corolla caryophyllaea; ſtamina vnguibus inſerta; ſemen oblongum, in calice contentum.

541. LIMONIVM. *Tourn.*

Radix fibroſa; ſquamae imbricatae, circa floſculos vel collectos, vel magis diſperſos diſpoſitae; calix infundibuliformis, limbo expanſo; corolla caryophyllaea; ſtamina vnguibus inſerta, ſemen oblongum, in calice contentum.

Linnaeus ad Staticen retulit et ſpeciem quoque, quae flore monopetalo infundibuliformi eſt, ob vngues coalitos, huc refert.

542. SVRIANA. *Plum. et Linn.*

Calix pentaphyllus, foliolis ſubrotundis, acuminatis, perſiſtentibus; petala oblonga, patentia; ouula quinque, ſtylis ſimplicibus ornata; ſemina quinque, ſubrotunda.

543. SIBALDIA. *Linn.*

Calix monophyllus, ſemidecemfidus, perſiſtens; petala calice breuiora, ouata; ouula quinque, ſtylis

ſtylis ſimplicibus inſtructa, ſemina quinque, oblonga.

Habitu ad Potentillam accedit.

544. RORELLA. *Rupp.* ROS SOLIS. *Tourn.* DROSERA. *Linn.*

Folia petiolata, rotunda, ſetis rubentibus ciliata: caulis nudus; flores in ſpica homomalla; calix tubuloſus, ſemiquinquifidus; corolla caryophyllaea, petalis oblongis, vnguibus anguſtis; capſula oblongo-conica, vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina exigua.

545. MELOCHIA. *Dill. et Linn.*

Calix monophyllus, perſiſtens, ſemiquinquifidus, ſegmentis acutis; petala patentia, magna; filamenta ſtaminum in tubum coalita; ſtyli quinque; capſula quinquelocularis, loculo quolibet bidentato et ſemen ſubrotundum continente.

546. DIOSMA. *Linn.*

Calix quinquifidus, laciniis acutis; petala ouata, patentia; ouarium ex quinque vaginis coalitum; ſtyli breuiſſimi; capſulae inter ſe coalitae, ſutura ſua ſuperius dehiſcunt; ſemina oblonga, membrana cartilaginea inuoluta.

Commelinus ad Spiraeas retulit.

547. LINVM. *Tourn.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus, perſiſtens; corolla ferme caryophyllaea, petala ex anguſtis vnguibus in limbos ampliores patentia, ſtamina breuia; ſtyli longiores, fructus eſt capſula globoſa, decemlocularis; ſemina ouato-plana, ſplendentia.

548. ARALIA. *Tourn.* ANGELICA BACCIFERA. *Rai.*

Flos et fructus in racemis; calix minor, ouarium ambiens, ſuperius quinquedentatus; corolla roſacea; bacca globoſa, coronata, oblongis ſeminibus foeta.

C. HEPTANTHERAE.

MONOSTYLAE.

549. AGRIMONOIDES. *Tourn.*

Habitus Agrimoniae, calix exterior tubuloſus, decemfidus; ouarium calice quinquifido coronatum; corolla roſacea; capſula villoſa, apice coronata, vnilocularis, vnicum ſemen continet.

Ad Agrimoniam retulit Linnaeus.

550. DRACONTIVM. *Linn.*

Habitus Ari; ſpatha cymbaeformis, maxima; fructificationes in capitulum collectae; calix proprius nullus; petala ouata; ſtigma trigonum; fructus eſt bacca, ſeminibus pluribus foeta.

D. OCTANTHERA.

551. ACER. *Tourn.*

Folia laciniata, vel anguloſa; calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens, thalamo rotundiore baſin calicis occupante; corolla roſacea, petala ex interſtitiis calicis; ſtamina thalamo adhaerent; ex medio thalamo, in pluribus (*nonnullis enim flores mere ſtaminei ſunt*) oritur ouarium compreſſum, alatum, ſtylo duplici vel triplici ornatum; fructus conſtat ex duabus, raro tribus capſulis, non dehiſcentibus, in alam folia-

liaceam deſinentibus, in quarum ſingula ſemen ſubrotundum.

E. ENNEANTHERA.

552. SPONDIAS. *Linn.* MONBIN. *Plum.*

Calix monophyllus, perſiſtens, quinquedentatus; petala plana, patentia; ſtylus breuiſſimus, ſtigma trifidum; bacca ouata, nuces irregulares continet.

F. DECANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

553. IVSSIEVA. *Linn.*

Calix ouarium inuoluens, quinquifidus, perſiſtens, ſegmentis acutis; petala ſubrotunda, patentia; ſtigma capitatum; fructus eſt capſula longitudinaliter dehiſcens; ſemina plurima continens.

554. FRANCA. *Mich.* FRANCKENIA. *Linn.*

Calix tubuloſus, perſiſtens, quinquedentatus; corolla caryophyllaea, petalis ſubrotundis, vnguibus anguſtis; ſtigma tripartitum; capſula oualis, vnilocularis, triualuis; ſemina minima.

555. HAEMATOXYLVM. *Linn.* CAMPECIA. *Sloan.*

Calix quinquifidus, perſiſtens, ſegmentis ouatis; petala ouata, calice maiora; ſtigma emarginatum; fructus eſt capſula vnilocularis, biualvis; ſemina oblonga, compreſſa.

556. ADENANTHERA. *Linn.*

Calix monophyllus, minimus, quinquedentatus; petala oblongo-acuta, ſubtus concaua; antherae glandula annexa inſignes; ſtylus ſimplex; fructus eſt legumen longum, compreſſum, ſeminibus ſubrotundis foetum.

557. TRIBVLVS. *Tourn.* TRIBVLVS TERRESTRIS. *Rai.*

Radix annua: folia pinnata, extremo impari; calix pentaphylloides; corolla roſacea, patens; ſtylus breuis, capitatus; fructus eſt capſula ſubrotunda, muricata, ex quinque partibus triangularibus conſtans; ſemen oblongum in quolibet loculo.

558. FABAGO. *Tourn.* ZYGOPHYLLVM. *Linn.*

Folia carnoſa: calix pentaphyllus, foliolis ſubrotundis; corolla roſacea; ſtamina ad baſin filamentorum, ſquamis ouarium cingentibus ſtipata; fructus plus minusque pulpoſus, cylindricus vel ſubrotundus, pentagonus, quinqueualvis; ſemina compreſſa.

559. FAGONIA. *Tourn.* ORBITOCHORTVS. *Knaut.*

Folia ternata, oppoſita; ſpinae quatuor ad caulium nodos; calix pentaphyllus, deciduus; corolla roſacea, petalis amplis, diſtantibus; capſula pentagona, ex quinque vaginis, axi in ſpinam eminentem abeunti, accretis, compoſita; in ſingulis ſemen ſubrotundum.

560.

560. LEDVM. *Rupp. et Linn.*

Calix minimus, quinquedentatus; petala ouata, patentia; fructus eſt capſula ſubrotunda, quinquelocularis; ſemina oblonga.

561. AZEDARACH. *Tourn.* MELIA. *Linn.*

Calix monophyllus, minimus, quinque-vel-ſexdentatus; corolla ex petalis quinque vel ſex anguſtis conſtat, tubus cylindraceus, ore decemdentato, ex medio ſurgens; ſtamina tubo accreta; fructus eſt bacca nucem ſubrotundam, quinqueſtriatam, quinquelocularem, continens, in quolibet loculo latet nucleus oblongus.

562. MELASTOMA. *Burm. et Linn.*

Calix ouarium cingens, ventricoſus, quinquedentatus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis; ſtigma incuruum; fructus eſt bacca quinquelocularis, dentibus calicis coronata, in qua plurima ſemina nidulantur.

ACINODENDRON. *Linn. quod in prima generum editione ſeparatim exhibuerat, in altera huc refert.*

2) *DISTYLAE.*

563. TVNICA. *Rupp. et Dill.* CARYOPHYLLVS. *Tourn.* DIANTHVS. *Linn.*

Radix fibroſa; folia longa, integra, oppoſita, caules cingentia; calix monophyllus, tubuloſus, quinquedentatus, ſquamis quatuor alternis ad baſin cinctus; corolla caryophyllea, petalorum limbis amplis, crenatis vel laciniatis: ſtyli bini, apice reflexi; fructus oblongus, vere cylindricus; ſemina compreſſa, marginata.

564.

564. SAPONARIA. *C. B. et Linn.*

Radix repens; folia oppoſita; calix oblongus, monophyllus, quinquedentatus; corolla caryophyllacea, petalis limbo plano, integro, inſtruens; capſula oblonga, vnilocularis; ſemina ſubrotunda.

Ad Lychnides refert Tournefortius.

565. MITELLA. *Tourn.*

Calix monophyllus, ſemiquinquifidus; corolla roſacea, petalis integris vel multiſidis; fructus eſt capſula ſubrotunda, acuminata, vnilocularis, biualuis, forma mitrae epiſcopalis dehiſcens; ſemina ſubrotunda.

ORELLANA. *H. L. B. quae capſulis lappaceis differt, a Tourn. huc refertur.*

566. SAXIFRAGA. *Boerh. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; corolla roſacea, vnguibus petalorum plus minusve anguſtis; ouarium vel calice ex parte cinctum, vel eidem inſiſtens; capſula biroſtris, bilocularis; ſemina exigua.

GEVM. *Tourn. quod petala magis plana et ouarium calici inſidens oſtendit, huc referri poſſet.*

567. HYDRANGEA. *Linn.*

Calix paruus, ouarium complectens, perſiſtens, quinquedentatus; petala ſubrotunda; ſtamina alterna longiora; fructus eſt capſula ſubrotunda, calice coronata, biroſtris, transuerſim bilocularis; ſemina minima, anguloſa.

3) *TRISTYLAE.*

568. BANNISTERIA. *Linn.*

Calix minimus, perſiſtens, quinquifidus, ſubtus

tus tuberculis nectariferis inſignis; petala orbiculata, patentia, vnguibus oblongis; ſtamina minima; ſemina tria, coalita, alata.

569. ALSINE. *Tourn.*

Folia oppoſita, integra; calix quinquefolius vel quadrifolius; corolla roſacea, tetrapetala, pentapetala, petalis oblongis, integris, bifidis, trifidis: ſtamina quinque, octo vel decem; ſtyli tres, quatuor, quinque; fructus ſubrotundus vel conicus, vnilocularis, apice dehiſcens; ſemina exigua.

Has Hallerus nomine generico vnico aſſumto, in ordines digeſſit, Linnaeus vero genera a Ruppio et Dillenio formata ſic diſpoſuit:

ALSINE. Linn. calix quinquefolius; petala bifida; ſtamina decem; ſtyli tres, quinque tamen interdum numerantur.

ARENARIA. Rupp. et Linn. calix quinquefolius; petala integra; ſtamina decem; ſtyli tres.

SPERGVLA. Linn. calix quinquefolius; petala integra; ſtamina decem; ſtyli quinque.

SPERGVLA. *Dill. Arenarias et Spergulas ob petala integra coniungit.*

HOLOSTEVM. Dill. et Linn. calix quinquefolius; petala tridentata; ſtamina quinque; ſtyli tres.

SAGINA. Linn. ALSINELLA. *Dill.* SPERGVLA. *Rupp. calix quadrifolius; petala quatuor; ſtamina quatuor; ſtyli quatuor.*

Has minimas Alſines ſpecies, inprimis muſcoſam, petalis deſtitutas, ſtaminibus quatuor vel octo, ſtylo etiam ſimplici, breuiſſimo, inſtructas, cognouimus, hinc ſumma partium in numero varietas vix aliquid certi relinquit.

570.

570. CERASTIVM. *Dill. et Linn.* MYOSOTIS. *Tourn. et Hall.*

Habitus Alſines; folia oppoſita; calix pentaphyllus; petala diuerſa, figura et magnitudine, vt plurimum erecta, expanſa; ſtamina decem, raro quinque; ſtyli quinque, interdum tres; capſula oblonga, ferme cylindracea, longa, cornu ſimilis, interdum incuruata, apice dehiſcens; ſemina exigua.

571. CHERLERIA. *Hall.*

Habitus Alſines; folia oppoſita; calix pentaphyllus, foliolis oblongis, cuſpidatis; petala quinque, minima; cordiformia, *vngues dicuntur Hallero, Linnaeo nectaria;* ſtamina decem; ſtyli tres; capſula ouata; ſemina hinc conuexa, inde angulоſa.

572. CVCVBALVS. *Tourn.*

Habitus Alſines altius ſcandentis; calix monophyllus, campaniformis, quinquifidus; corolla caryophyllaea, petalis bifidis; ſtamina decem; ſtyli tres; fructus globoſus, membranaceus, ſiccus; ſemina reniformia, ſplendentia.

573. LYCHNIS. *Tourn.*

Folia integra, oppoſita; calix monophyllus, quinquedentatus, varius; corolla caryophyllaea, limbo vario; ſtamina decem; ſtyli tres vel quinque; capſula ouata, vnilocularis, trilocularis, quinquelocularis.

Haec adeo inſignis partium in vno genere varietas fecit, vt multi noua genera maxime diuerſa ſtatuerint, quae ex his forte quodammodo cognoſci poterunt.

LY-

LYCHNIS. Linn. calix monophyllus, inflatus; limbus petalorum bifidus vel quadrifidus, denticuli bini ad ortum limbi ex vngue; ſtyli quinque; fructus vnilocularis.

AGROSTEMA. Linn. NIGELLASTRVM. *Riv. calix monophyllus, ſtriatus, ſegmentis longiſſimis; limbi petalorum integri, nullis denticulis ornati; ſtyli quinque; fructus vnilocularis.*

CORONARIA. Linn. calix monophyllus, quinquangularis; petalorum limbi cordati, denticuli bini ad ortum limbi; ſtyli quinque; fructus vnilocularis.

SILENE. Linn. calix monophyllus, clauaeformis, quinquedentatus; petalorum limbi emarginati; ſtyli tres vel quinque; fructus tri-vel quinquelocularis.

MVSCIPVLA. *Riv. fructu triloculari et*

VISCARIA. *Riv. fructu quinqueloculari huc referantur; videntur tamen loculi inferius diſtincti, qui ſuperius ſub apice, vbi dehiſcunt, in vnum loculum terminantur.*

VISCAGO. *Dill. capſula tripartita et caule viſcido diuerſa huc referatur.*

OTITES. *Tab. et Rupp. florem ſtamineum et piſtillatum in diuerſis plantis fert, et huc referri poſſet.*

CVCVBALVS. Linn. calix monophyllus, inflatus, quinquedentatus; petalorum limbi bifidi; ſtyli tres vel quinque; capſula vnilocularis, vel trilocularis.

OCYMASTRVM. *Riv. fructu vniloculari.*

CVCVBALVS. *Tourn. fructu vniloculari, baccam mentiente et*

BEHEN. *Malp. fructu triloculari, a Linnaeo huc referuntur.*

Haec

Haec ſunt Linnaeana, a quibus Hallerus ita recedit:

VISCAGO. Hall. Silenes triloculares et ideo quoque Muſcipulam Riv. nec non Cucubalos triloculares complectitur.

SILENE. Hall. Silenes vniloculares Linn. complectitur.

LYCHNIS. Hall. Lychnidem, Agroſtema, Coronariam et Cucubalos vniloculares Linn. complectitur.

Heiſterus a petalis ſolis diſtinguit:

LYCHNIS. *petalorum limbis integris.*

LYCHNOIDES. *petalorum limbis bifidis.*

CVCVLI. *petalorum limbis quadrifidis.*

574. DRYPIS. *Mich.*

Calix monophyllus, inflatus, quinquedentatus, perſiſtens; corolla caryophyllaea, limbis petalorum bipartitis; fructus eſt capſula vnilocularis, globoſa; ſemen vnicum, reniforme.

575. MALPIGHIA. *Plum.*

Calix monophyllus, quinquifidus, minimus, perſiſtens; corolla roſacea, petalis reniformibus, magnis; filamenta ſtaminum latiuſcula, in cylindrum poſita; ſtyli obtuſi; fructus globoſus, carnoſus, vnilocularis, nuces tres alatae, nucleo ſimplici in qualibet nuce.

4) *PENTASTYLAE.*

576. CORIARIA. *Niſſ.*

Calix minor, pentaphyllus, foliolis concauis; petala coriacea, parua, concaua, perſiſtentia; ſemina nuda, reniformia, quinque, petalis perſiſtentibus comprehenſa.

577.

577. HVGONIA. *Linn.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus, ſegmentis acutis, perſiſtens; petala patentia, ſubrotunda; ſtyli capillares, ſtigmata capitata; bacca globoſa, ſemen vnicum, ſtriatum continens.

578. AVERRHOA. *Linn.*

Folia pinnata; flores et fructus in racemis; calix paruus, quinquifidus, perſiſtens; petala erecto-patentia, vt plurimum quinque; ſtamina duplicata; fructus eſt bacca coronata, ſulcata, continens nucleum ex nonnullis ſeminibus anguloſis, membrana conuolutis, conſtantem.

5) *POLYSTYLAE.*

579. NEVRADA. *Linn.* TRIBVLASTRVM. *Iuſſ.*

Calix monophyllus, ouarium complectens, quinquedentatus; petala calice maiora; ſtyli decem; capſula orbiculata, depreſſa, aculeata, decemlocularis, ſemina ſolitaria in quolibet loculo continet.

580. PHYTOLACCA. *Tourn.*

Flores in racemos diſpoſiti; calix nullus; corolla roſacea, perſiſtens, petalis ſubrotundis, concauis; ſtyli decem; bacca orbiculata, compreſſa, decemſulcata; ſemina reniformia.

G. POLYANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

581. TILIA. *Tourn.*

Ligulae foliaceae communi floſculorum pedunculo adnaſcentes; calix quinquifidus, deciduus;

dius; corolla roſacea, petalis oblongis; ſtylus breuiſſimus; capſula oblonga, vnilocularis, ſemine vno vel altero foeta. *Linnaeo dicitur quinquelocularis.*

582. PORTVLACA. *Tourn.* ANDRACHNE. *Sieg.*

Folia ſucculenta, craſſiuſcula; calix monophyllus, inferiorem partem ouarii arcte cingens, bifidus, perſiſtens; corolla roſacea; ſtylus ſexfidus; fructus eſt capſula ouata, duplici teſta conſtans, quarum prior horizontaliter, altera paulio poſt ſimili modo ſecedit, vnilocularis; ſemina exigua.

583. HELIANTHEMVM. *Tourn.* CHAMAECISTVS. *C. B.*

Calix trifolius, additis foliolis externis binis, minimis; corolla roſacea, petalis ſubrotundis; capſula ſubrotunda, vnilocularis, triualuis; ſemina exigua.

Ad Ciſtum refert Linnaeus.

584. VATERIA. *Linn.*

Calix quinquifidus, perſiſtens, ſegmentis acutis; petala ouata; ſtamina copioſa; ſtigma capitatum; fructus eſt capſula turbinata, vnilocularis, triualuis, ſemen vnicum, ouatum continens.

585. MENTZELIA. *Plum. et Linn.*

Calix ouario inſiſtens, quinquefolius, foliolis lanceolatis, deciduis; corolla roſacea, petala calice paulio ampliora; fructus eſt capſula cylindracea, vnilocularis; ſemina multa, ſubrotunda.

586. HARMALA. *Tourn.* PEGANVM. *Linn.*

Folia alterna, diſſecta; calix pentaphyllus, foliolis

liolis anguſtis; corolla roſacea, petalis oblongis; ſtigmata tria; fructus eſt capſula ſubrotunda, trigona, triualuis, trilocularis; ſemina anguloſa.

587. TRIVMFETTA. *Plum. et Linn.*

Calix nullus; petala anguſta, decidua; ſtamina ſedecim; ſtigma bifidum; fructus eſt capſula globoſa, quadrilocularis, aculeata, ſemina bina in ſingulo loculo.

588. CORCHORVS. *Tourn.* MELOCHIA. *P. Alp.*

Folia alterna; calix pentaphyllus; corolla roſacea, petalis oblongis, inferne anguſtis, ſuperius obtuſis; ſtigma bifidum; fructus eſt capſula cylindracea, acuminata, quinquelocularis, quinqueualuis; ſemina angulata.

589. SARRACENA. *Tourn.*

Calix inferior triphyllus, deciduus; ſuperior pentaphyllus, deciduus; corolla roſacea; ſtylus breuis, clypeo quinquangulari, magno inſtructus; capſula ſubrotunda, quinquelocularis; ſemina acuminata, parua.

590. CISTVS. *Tourn.*

Habitus fruticoſus; folia oppoſita; calix pentaphyllus vel triphyllus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, nonnihil concauis, magnis; ſtylus ſtigmate orbiculato inſtructus; fructus eſt capſula ſubrotunda, acuminata, quinquelocularis; ſemina exigua.

591. CLVSIA. *Plum. et Linn.* CENCHRAMIDEA. *Plukn.*

Calix pentaphyllus, perſiſtens, foliolis concauis; petala ſubrotunda, concaua, magna, ne-

ctarium globoſum, perforatum, ouarium tegens; ſtylus breuiſſimus, ſtigma ſtellatum; capſula ouata, ſulcata, ſexlocularis, ſexualuis; ſemina ouata, pulpa tecta, columnulae anguloſae, cui valuae adhaerent, affixa.

592. PADVS. *Linn.*

Calix monophyllus, campanulatus, quinquedentatus; corolla roſacea, petalis calici inſertis; fructus ſubrotundus, parum pulpoſus; nux oblonga, nucleo ſimili foeta.

LAVROCERASVS. *Tourn. et* PADVS. *Rupp. in hoc genere coniunguntur.*

593. CERASVS. *Tourn.*

Folia maiora, lucida; calix monophyllus, campanulatus, deciduus, ſegmentis quinque reflexis, ouatis; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, ex calicis margine ortis; ſtamina multa; ſtylus ſimplex, ſtigma orbiculatum; fructus pulpoſus, ſubrotundus, ex vna parte ſulcatus; nux ſubrotunda, ſutura tenui ab vno latere eminens, nucleo ſubrotundo foeta.

594. PRVNVS. *Tourn.*

Calix monophyllus, campanulatus, deciduus, laciniis quinque reflexis; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; ſtigma orbiculatum; fructus eſt bacca ouata vel globoſa, cuticula glabra, tenui, tecta; nux oblongo-compreſſa, vtrimque acuminata, vnico nucleo vt plurimum foeta.

595. ARMENIACA. *Tourn.*

Calix monophyllus, tubuloſo-campanulatus, deciduus, pentaphylloides; corolla roſacea, petalis

talis ſubrotundis; bacca globoſa, ad latera quodammodo compreſſa, cuticula villoſa cincta; nux ſubrotunda, glabra, vnico vel duplici nucleo foeta.

Ad Prunum retulit Linnaeus.

596. AMYGDALVS. *Tourn.*

Calix monophyllus, tubuloſus, quinque ſegmentis diſtinctus, deciduus; corolla roſacea, petalis oblongis; ſtylus capitatus; bacca oblonga, compreſſa, cuticula villoſa et pulpa per maturitatem ſicca, cincta; nux oblonga, laeuis, poroſa, nucleus vnus vel alter eiusdem figurae.

597. PERSICA. *Tourn.*

Calix monophyllus, tubulatus, quinquifidus; corolla roſacea, petalis oblongis; ſtylus capitatus; bacca ſubrotunda, cuticula villoſa et pulpa molli cincta; nux oblonga, vtrinque acuminata, ſcrobiculis profundius inſculptis; nucleus vnus vel alter.

Ad Amygdalum retulit Linnaeus.

598. CHRYSOBALANVS. *Linn.*
ICACO. *Plum.*

Calix quinquedentatus, planus, perſiſtens; corolla roſacea, petalis ouatis; ſtamina copioſa; fructus ſit bacca ouata, nucem ſulcatam continens.

599. GVAIACVM. *Plum. et Linn.*

Calix pentaphyllus, foliolis oblongis, deciduus; corolla roſacea, petalis oblongis, concauis, calice maioribus; ſtamina decem vel plura; ouarium thalamo columnari inſiſtens, ſtylus tenuis;

nuis; fructus eſt bacca coriacea, quae ſemen vnum alterumue, pulpa cinctum continet.

600. MVNTINGIA. *Plum. et Linn.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus, ſegmentis acutis; corolla roſacea, petala ſubrotunda; ſtamina copioſa; ſtylus breuiſſimus, ſtigma ſtellatum, perſiſtens: fructus eſt bacca globoſa, vnilocularis, in qua ſemina ſubrotunda, copioſa nidulantur.

601. GREWIA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, foliolis coriaceis, intus coloratis; corolla roſacea, petalis calice minoribus, ad baſin ſquamula incurua ornatis; thalamus in columnam extenſus, pentagonus, ouarium ſubrotundum ſuſtinet, ſtigma quadrifidum; fructus eſt bacca quadrangularis, ex quatuor quaſi baccis, globoſo ſemine foetis, coalita.

602. GVAIAVA. *Plum. et Tourn.*
PSIDIVM. *Linn.*

Calix ouarium arcte cingens, ſuperius quinquifidus: corolla roſacea, petalis ouatis, concauis; bacca ouata, coronata, mollis, in cuius carne multa ſemina exigua nidulantur.

603. MYRTVS. *Tourn.*

Planta ſemper virens; folia ſuaueolentia; calix ouarium arcte cingens, ſuperius quinquifidus; corolla roſacea, petalis ouatis: bacca oblonga, vmbilicata, trilocularis; ſemina multa, reniformia.

604. CACAO. *Tourn.* THEOBROMA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, foliolis ouatis, deciduus; corolla

corolla roſacea, petalis ſinuatis, tubus profunde quinquifidus, ouarium complectens; filamenta quinque, ſuperius quinquifida; bacca oblonga, quinquangularis, lignoſo et inaequali cortice veſtita; ſemina carnoſa, amygdalis ſimilia, quinquefariam diſpoſita.

GVAZVMA. *Plum. quae fructu ſubgloboſo, ſcabro, poroſo, quinqueloculari gaudet, a Linnaeo huc refertur.*

605. CITRVS. *Linn.*

Calix monophyllus, planus, quinquedentatus; corolla roſacea, petalis ex baſi lata oblongis; filamenta ad baſin quodammodo coalita, ſtigma globoſum; fructus, ſub cortice carnoſo, aromatico, pulpam continet, nouem loculamentis diuiſam; ſemina ſubouata, calloſa, bina in quolibet loculo.

Tournefortius hoc genus ita diſtinguit.

AVRANTIVM. *Tourn. folia oblongo-cuſpidata, petiolo cordiformi adnata; fructus rotundus, ſuperius non nihil depreſſius.*

MALVS ADAMI. *Rai. fructus vt in Aurantio; ſed petiolus ſimplex, non cordiformis.*

CITREVM. *Tourn. Petiolus ſimplex non cordiformis; fructus longior, cortex craſſior.*

LIMON. *Tourn. omnia Citrei, ſed cortex tenuior, pulpa copioſa.*

2) *DISTYLAE.*

606. AGRIMONIA. *Tourn.*

Radix fibroſa, perennis, folia alterna, pinnata, rugoſa; flores in ſpica; calix ouarium cingens, in ambitu ſetis acutis cinctus, ſuperius quinquifidus; corolla roſacea, raro hexapetala:

fructus eſt capſula vnilocularis, lappacea, ſemine uno vel gemino, ſubrotundo foeta.

607. ISOPYRVM. *Linn.*

Calix nullus; corolla roſacea, petalis ouatis, deciduis; tubuli quinque nectariferi intra corollam; ouaria bina, poſt ſingulum florem, mutantur in legumina lunulata, quae plurima ſemina continent.

608. CRATAEGVS. *Linn.*

Calix ouarium complectens, quinquifidus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; bacca vmbilicata bina oſſicula continet.

609. SORBVS. *Linn.*

Calix, corolla, ſtamina vt in praecedenti; ſtyli tres; oſſicula tria.

AVCVPARIA. *Riv.* COTONEASTER *et* OXYACANTHA. *Rupp. ad hoc aut praecedens genus referri poſſunt, ſtylis enim variant: forte omnes ſub vno Meſpili genere, paullo poſt deſcribendo, comprehendi poſſent.*

3) *TRISTYLAE.*

610. HYPERICVM. *Tourn.*

Radix fibroſa; folia oppoſita; calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; corolla roſacea, petalis oblongis; filamento ſtaminum ad baſin in tria corpora coalita; capſula oblonga, trigona; ſemina exigua.

611. ANDROSAEMVM. *Tourn.*

Radix fibroſa; folia oppoſita; calix monophyllus, quinquifidus, expanſus: corolla roſacea, petalis oblongis; filamenta ad baſin in faſciculos

ſciculos coalita; fructus ouatus, carnoſus eſt bacca exterius triſulcata, vniloculaaris; ſemina multa, exigua.

Ad Hypericum refert Linn.

612. GARIDELLA. *Tourn.* NIGELLASTRVM. *Mag.*

Radix annua; folia capillacea; calix pentaphyllus, paruus; petala nectarifera, floſculis bilabiatis ſimilia, ſuperius bifida, labello inferiore minore, vngues anguſti; ouaria tria, ſtyli breves; capſula ex thecis diſiunctis, biualuibus, tribus, raro paucioribus, componitur, in qualibet theca ſemina compreſſa, duplici ordine diſpoſita.

4) *PENTASTYLAE.*

613. SEDVM. *Hall.*

Habitus plantae ſucculentus; folia radicalia, ſi adſunt, Roſae inſtar in orbem circumfuſa, caulina alterna, vel plurima inordinata; flores in corymbo, vel ſi ſpicatim adhaerent, ſpicae quaſi in corymbum diſponuntur; calix monophyllus, profunde quadri-quinque-ſex-multifidus; corolla roſacea, petala calici proportionata; ſtamina calici proportionata, vel duplicata; ouarium ex vaginulis corniculatis conſtat, quae numero calici proportionatae ſunt, et quarum ſingulae ad baſin ſquamula emarginata adhaeret; ſemina exigua.

Numerus partium adeo diuerſus ſequentia genera efficit.

ROSEA. Rupp. RHODIOLA. *Linn.* RHODIA RADIX. *Off. folia radicalia nulla, caulina glauca, copioſa; flores in vmbella; calix quadrifidus;*

 pe-

petala quatuor; ſtamina quatuor; capſulae variant, et in planta, quae ſtamina habet, ouaria tantum abortiua, in planta, quae capſulas producit, ſtamina vix cognoſcuntur. An vera ſexus differentia et conſtans?

SEDVM. Linn. folia radicalia in Roſae formam collecta, in quibusdam mere caulina; calix profunde quinquifidus; petala quinque; ſtamina decem; ouarium ex quinque vaginulis conſtat; ſemina minima.

ANACAMPSEROS. *Tourn.* TELEPHIVM. *Rai.* TABARIA. *Rupp. illas ſpecies ſiſtunt, quae folia radicalia non habent.*

VERMICVLARIS. Knaut. flore hexapetalo a reliquis diſtinguitur; folia teretia caulina in hac ſpecie inueniuntur, ſed dantur aliae, quae ſimilibus foliis inſtructae, pentapetalae ſunt.

SEMPERVIVVM. Rupp. et Linn. AIZOVM. *Sieg. folia radicalia in Roſae formam collecta; calix multifidus; petala plana; ſtamina multa; capſulae multae; omnes partes vt plurimum duodecim, ſaepius plures.*

614. NIGELLA. *Tourn.*

Radix annua; folia capillacea; calix nullus, niſi folia quinque tenuiſſima, ramoſiſſima, florem vt plurimum cingentia, aſſumas; corolla roſacea, petala oblonga, baſi anguſta; nectaria octo, floſculis irregularibus monopetalis ſimilia; ſtyli quinque, raro plures; fructus eſt membranaceus, oblongus, ſuperius multicornis, vel ex vaginis corniculatis quatuor, quinque vel pluribus compoſitus; ſemina ſubrotunda vel plana.

NIGELLASTRVM. *Sieg. huc referatur.*

615.

615. ASCYRVM. *Tourn.*

Habitus, calix et corolla Hyperici; ſtamina ad baſin in tria vel plura corpora coalita; fructus eſt capſula acuminata, pyramidalis, quinquelocularis; ſemina exigua.

Ad Hypericum retulit Linnaeus.

616. SPIRAEA. *Tourn.*

Calix pentaphylloides, ſtellatus; corolla roſacea; ſtamina vna cum petalis calici inſerta; capſula ex quinque vaginulis biualuibus, ſeminibus paruis, oblongis foetis, componitur.

617. MESPILVS. *Tourn.*

Calix ouarium arcte cingens, ſuperius quinquifidus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; ſtyli capitati; fructus calice coronatus, pulpoſus, vnilocularis, quinque oſſiculis foetus.

618. PYRVS. *Linn.*

Calix ouarium arcte complectens, ſuperius quinquifidus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; pomum variae figurae, vmbilicatum, quinqueloculare; ſemina oblonga, baſi acuminata.

A differentia fructus ſequentia genera ab Auctoribus vulgo aſſumuntur.

PYRVS. *Tourn. habitus procerior et erectior quam Mali; fructus oblongus, turbinatus.*

MALVS. *Tourn. habitus magis expanſus; fructus circa pedunculum plerumque excauatus.*

CYDONIA. *Tourn. habitus humilior; fructus Pyro vel Pomo ſimilior, lanugine veſtitus; ſemina glutinoſa.*

5. PO-

5) *POLYSTYLAE.*

619. MYOSVRVS. *I. B.* MYOSVROS. *Dill.*

Radix annua; folia graminea; calix pentaphyllus, foliolis ſub nexu ad baſin productis; petala quinque, minima, baſi tubulata; ouula multa, ſtyli breuiſſimi; ſemina oblonga, thalamo vnico, longiori adnata.

620. VLMARIA. *Tourn.*

Folia pinnata; flores in panicula diſpoſiti; calix monophyllus, quinquifidus, expanſus, reflexus; corolla roſacea, petalis oblongis; ouula plura, ſtyli breues; fructus ex multis vaginulis non dehiſcentibus, incuruis, in capitulum congeſtis, ſemine exiguo foetis, conſtat.

Ad Filipendulam retulit Linnaeus.

621. POTENTILLA. *Linn.*

Calix monophyllus, decemfidus, ſegmentis quinis interioribus maioribus, exterioribus quinis minoribus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; ſtamina viginti circiter; ouula multa, fibrae inter ouula emergentes, *an ſtyli?* ſemina multa, acuminata, thalamo ſicciori, non pulpoſo, adnata.

QVINQVEFOLIVM. *Tourn.* PENTAPHYLLVM. *Rai. folia ternis plura, digitata.*

FRAGARIA STERILIS. *Rai. folia ternata.*

PENTAPHYLLOIDES. *Tourn. folia pinnata habent, et commode ſub praecedenti genere complectuntur.*

COMARVM. Linn. calice rubente, et petalis calice minoribus a Potentilla differt.

FRAGARIA. Tourn. foliis ternatis et thalamo,

mo, ſemina ſuſcipiente, pulpoſo, dulci, a Potentilla differt.

622. CARYOPHYLLATA. *Tourn.* GEVM. *Linn.*

Radix fibroſa, perennis; folia pinnata; calix monophyllus, ſemidecemfidus; corolla roſacea, vnguibus longioribus inſerta; ouula multa, ſtyli longi, thalamus vel columnae minori vel calici impoſitus; ſemina multa, compreſſa, ſtylo perſiſtente inſtructa.

623. RANVNCVLVS. *Tourn.*

Calix deciduus, plerumque pentaphyllus; corolla roſacea, petalis oblongis vel ſubrotundis, fouea vel ſquamula nectarifera ad vnguem petali ſinguli; ouula multa, ſtyli breuisſimi; thalamus numeroſa ſemina diuerſae figurae ſuſcipit.

RANVNCVLOIDES. *Vaill. flores non in ſummitate, ſed in foliorum alis habens ſingulares, huc referatur, nec non* THORA. *Rupp. quae falſo tetrapetalos dicitur.*

624. POPVLAGO. *Tourn.* CALTHA PALVSTRIS. *Rai.* CALTHA. *Linn.*

Radix viuax; folia ſubrotunda, integra; calix nullus; corolla roſacea, petalis planis, patentibus; ſtyli breuisſimi, inſiſtentes vaginis ſuperius dehiſcentibus; ſemina oblonga.

625. HELLEBORVS. *Tourn.*

Folia digitata, vel palmata; calix nullus, niſi petala perſiſtentia nomen calicis mereantur; corolla roſacea, perſiſtens; nectaria quinque vel plura, floſculis monopetalis ſimilia; fructus ex vaginis

vaginis membranaceis, connatis, ſuperius dehiſcentibus conſtat; ſemina ſubrotunda vel ouata.

HELLEBORASTER. *Rupp. huc referri poſſet.*

626. DILLENIA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, perſiſtens, foliolis concauis, coriaceis, magnis; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, concauis, coriaceis, magnis; ſtamina copioſisſima; fructus ex multis capſulis, thalamo pulpoſo affixis, ſtigmatibus perſiſtentibus, acutis et reflexis ornatis, ſeminibus copioſis foetis, componitur.

627. RVBVS. *Tourn.*

Frutex vt plurimum ſpinoſus; folia ternata, quinata; calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; thalamo, in medio calice ſito, annectuntur acini ſucculenti, multi, in capitulum oblongum collecti; ſemina oblonga.

628. ROSA. *Tourn.*

Frutex infirmus, medulloſus, ſpinis corticalibus obſitus; folia pinnata, extremo impari; calix carnoſus, oblongus, in quinque lacinias concauas, variis appendiculis ornatas, expanſus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; ſtigmata ad oſtium calicis in capitulum collecta; ſemina multa, oblonga, hiſpida, intra calicem carnoſum, ceu baccam collecta.

CLAS-

CLASSIS XI.

Plantae flore perfecto, pentapetalo, irregulari.

A. PENTANTHERA.

MONOSTYLA.

629. VIOLA. *Tourn.*

Calix quinquifidus, foliolis ſupra baſin adhaerentibus, in ſuperna parte, vbi calcar floris eſt, deficiens; corolla irregularis, petalum ſupremum latum, in calcar nectariferum deſinens, bina lateralia oppoſita, obtuſa, bina inferiora maiora; ſtamina quinque, antheris coalitis, filamentis binorum ſtaminum appendice in calcar nectariferum deſcendentibus; ſtigma vel hamatum, vel globoſum, nectariferum; fructus oblongus, trigonus, vnilocularis, triualuis; ſemina ſubrotunda.

B. HEPTANTHERA.

MONOSTYLA.

630. HIPPOCASTANVM. *Tourn.* CASTANEA EQVINA. *Rai.* ESCVLVS. *Linn.*

Folia digitata; calix monophyllus, ventricoſus, quinquedentatus; petala ſubrotunda, vndulata, irregularia; ſtamina declinata; fructus eſt capſula coriacea, vnilocularis, tri-vel quadriualuis; ſemina nonnulla, cortice tecta.

C. OCTAN-

C. OCTANTHERAE.

MONOSTYLAE.

631. ACRIVIOLA. *Boerh.* CARDAMINDVM. *Tourn. et Riv.* TROPAEOLVM. *Linn.* PELONIVM. *Sieg.*

Folia alterna, peltata, orbicularia; caules ſcandentes; calix irregulariter quinquifidus, caducus; petala inaequalia, ſegmentis calicis inſerta; ſtigma trifidum; ſemina ad ſingulum florem terna, rugoſa, maiora.

632. PAVIA. *Boerh. et Linn.*

Folia digitata, oppoſita; calix monophyllus; quinquedentatus; petala diuerſae magnitudinis, ouata, ſuperiora longiora; ſtamina incurua; fructus eſt capſula quadrilocularis, quadriualuis; ſemina globoſa.

D. DECANTHERAE.

MONOSTYLAE.

a) Papilionaceae.

633. GLYCYRRHIZA. *Tourn.*

Folia pinnata, extremo impari; planta fruticoſa; calix bilabiatus, labio ſuperiori trifido, inferiori ſimplici; vexillum oblongum, anguſtum, alae binae oblongae, carina dipetala; legumen oblongum, compreſſum.

PSEVDO-GLYCYRRHIZA. *Riv. ſiliquis breuibus, echinatis a praecedente differt.*

634. SPARTIVM. *Linn.* GENISTA. *Tourn.*

Calix monophyllus, amplo margine, irregulariter quinquedentatus, perſiſtens; vexillum magnum

magnum, reflexum, alae ouatae, extrorſum flexae, carina longa, dipetala, conniuens; legumen longum, compreſſum; ſemina reniformia.

CYTISO-GENISTA. *Tourn. quae ramos flexuoſos, folia, partim ternata, partim ſimplicia obtinet, huc referatur.*

635. ANAGYRIS. *Tourn.*

Folia ternata; calix campanulatus, quinquedentatus, irregularis; vexillum breve, erectum, alae oblongae, vexillo breuiores, carina dipetala, legumen teretiuſculum, magnum; ſemina reniformia.

636. VLEX. *Linn.*

Calix diphyllus, foliolis concavis, ſuperiori bidentato, inferiori tridentato; vexillum erectum, cordatum, alae obtuſae, carina dipetala, recta; legumen breue, duobus vel tribus ſeminibus reniformibus foetum.

GENISTA-SPARTIVM. *Tourn.* NEPA. *Rai. et* ERINACEA. *Rai. et* GENISTELLA. *Riv. quae aculeis denſisſimis praeditae ſunt et folia ſingularia, plus minus perſiſtentia obtinent, huc quoque referri merentur.*

637. PSORALIA. *Roy. et Linn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, irregularis; vexillum ſubrotundum, alae obtuſae, paruae, carina dipetala; legumen breue, acuminatum; ſemen vnum alterumque reniforme.

638. BORBONIA. *Linn.*

Calix ſemiquinquifidus, ſegmentis acutis, pungentibus: vexillum reflexum, alae vexillo breuiores,

res, carina lunulata, dipetala; legumen ſubrotundum, ſpina terminatum, ſemen reniforme.

Ad Geniſtam quoad habitum accedit.

639. TRAGACANTHA. *Tourn.*

Folia pinnata, coſta in mucronem acutum terminata; calix monophyllus, quinquedentatus, irregularis; vexillum maius, emarginatum, lateribus reflexis, alae anguſtae, breuiores, carina dipetala, obtuſa; legumen breue, acuminatum, biloculare; ſemina reniformia.

b) Non Papilionaceae.

640. GERANIVM. *Tourn.*

Calix pentaphylloides, foliolis acutis, vel patentibus, vel erectis; corolla pentapetala, rarius tetrapetala, regularis vel irregularis, interdum quaſi bilabiata, petalis oblongis vel ſubrotundis, vnguibus longioribus, breuioribus; ſtamina aequalia vel inaequalia; filamentis vel anguſtis, vel latioribus, vel coalitis; ouula quinque ſtylo, in formam roſtri extenſo, inferius adhaerent, ſtigmata quinque; fructus quinque ſemina oblonga, capſulis vel operculis in caudam vel ſimplicem vel plumoſam deſinentibus tecta, ſtyloque affixa exhibet, quae per maturitatem ab inferiori parte ſurſum reflectuntur.

GRVINALIS. *Riv.* GERANIVM. *Sieg. et Burm. ſpecies flore regulari complectitur, quibus Ruppius capſulas quinque adſcribit.*

GERANIVM. *Riv.* GERANIOSPERMVM. *Sieg.* PELARGONIVM. *Burm. ſpecies flore irregulari complectitur, quibus Ruppius ſemina quinque nuda adſcribit: cum reliqui characteres admodum incerti*

ſint

ſint, et fructus characterem eſſentialem ſingularem ſiſtat, diſtinctio generis incerta.

641. CASSIA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, irregularis, deciduus; petala ſubrotunda, concaua, irregularia magnitudine et ſitu; ſtamina inaequalia, declinata; legumen varium.

CASSIA. Tourn. legumen cylindricum, longum, vel compreſſum, ſemina in pulpa nigra deliteſcentia, ſubrotunda, diſſepimentis transuerſis, inter ſemina integris.

SENNA. Tourn. legumen planum, compreſſum, incuruum, biualue, in loculos diſſectum; ſemina turbinata, compreſſa.

642. POINCIANA. *Tourn.*

Calix pentaphyllus, foliolo infimo longiore; petala concaua, ſubrotunda, infimo ampliore; ſtamina longiſſima, declinata; ſtylus longiſſimus; legumen oblongum, compreſſum, diſſepimentis transuerſalibus diſtinctum; ſemina oblonga.

CHAMAECRISTA. *Riv. quae a Linnaeo ad Caſſiam relata fuit, forte huc pertinet; niſi cum Poinciana ſimul ad Caſſiam referatur.*

643. PARKINSONIA. *Plum. et Linn.*

Folia pinnata, coſtae profunde diuiſae ſeu duplici adnata; calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis acutis, deciduis; petala quatuor oblonga, quintum inferius latius, omnia vndulata; ſtamina declinata; fructus eſt legumen longum, nodoſum, acuminatum; ſemina oblonga.

644. SOPHORA. *Linn.*

Folia pinnata, extremo impari; calix campa-

 nulatus,

nulatus, baſi gibbus, quinquedentatus; vexillum oblongum, lateribus reflexis, alae oblongae, longitudine vexilli, carina dipetala: ſtamina antheris diſtinctis; legumen longum, nodoſum; ſemina ſubrotunda.

645. BAVHINIA. *Plum. et Linn.*

Folia bilobata; calix quinquifidus; petala vel oblonga, vel lanceolata, vnguibus anguſtis inſerta, interdum ſex, irregularia; ſtamina nouem, filamentis coalita, decimum ſolitarium; fructus eſt legumen longum, vniloculare; ſemina ſubrotunda vel reniformia.

646. SILIQVASTRVM. *Tourn.* ARBOR IVDAE. *Dod.* CERCIS. *Linn.* CERAVNIA. *Sieg.*

Folia alterna, petiolata, reniformia; calix breuis, amplus, campanulatus, quinquedentatus; petala vnguibus anguſtis, calici inſerta, vexillum ſubrotundum, breue, alae longiores, ſurſum flexae, carina dipetala; ſtamina filamentis diſtinctis, inflexis; ſtylus inflexus, ſtigmate obtuſo; fructus eſt legumen oblongum, continens ſemina reniformia.

647. DALEA. *Linn.*

Folia pinnata, extremo impari; calix paruus, monophyllus, quinquifidus; petala quatuor, oblonga, aequalia, quinto ſupremo minimo; ſtamina baſi leuiſſime coalita; legumen breue, ſemen vnicum continet.

648. CLETHRA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, perſiſtens, foliolis ouatis; petala oblonga, irregularia; ſtigma trifidum: capſula

pſula ſubrotunda, trilocularis, triualuis; ſemina angulоſa.

649. DICTAMNVS. *Linn.* FRAXINELLA. *Tourn. et Riv.*

Calix pentaphyllus, minor, foliolis acutis; petala oblonga, vnguibus anguſtis praedita, quatuor ſurſum, vnum deorſum inclinata; ſtamina declinata; fructus eſt capſula, ex quinque vaginis biualuibus, ſurſum dehiſcentibus, compoſita; ſemina nigra, ſplendentia, turbinata.

650. PYROLA. *Tourn.*

Radix fibroſa; folia alterna; calix quinquifidus; petala concaua, irregularia; fructus eſt capſula ſubrotunda, ſtriata, vmbilicata, quinquelocularis, ſeminibus exiguis foeta.

Partes floris inſigniter variant; calix vel quinquifidus, ſegmentis anguſtis, vel quinquedentatus; corolla vel patens, vel quodammodo clauſa, plus minusque irregularis; modus florendi ſolitarius, in ſpica et corymbo.

651. HELICTERES. *Linn.* ISORA. *Plum.*

Calix monophyllus, oblique patens, apice tridentato; petala oblonga, irregularia; thalamus in ſtylum longum, recuruum productus, ouarium ſuſtinet, ad cuius baſin ſtamina, ad apicem foliola quinque conſpiciuntur, ſtylus ſimplex e medio ouario; fructus conſtat ex quinque capſulis, ſpiraliter contortis et ſemina reniformia continentibus.

652. TOLVIFERA. *Linn.*

Calix monophyllus, quinquedentatus; petala

quatuor, anguſta, quinto cordato, maiore; ſtamina breuiſſima; ſtylus ſimplex, ſupra ouarium longum; fructus incertus.

653. ACONITVM. *Tourn.* NAPELLVS. *Riv.*

Folia laciniata; calix nullus; petala quatuor, inferiora ferme orbicularia, quintum ſuperius cucullatum, quaſi galeatum; ex parte ſuperiori thalami oriuntur pedunculi bini, qui bina nectaria quaſi cochleata ſuſtinent, et ſub petalo ſuperiori recondunt; ſtamina plurima, declinata, filamenta plana; fructus conſtat ex tribus vel quinque vaginis vniualuibus; ſemina angulosa vel rugoſa. ANTHORA. *Riv. non niſi foliis magis laciniatis differt.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CLASSIS XII.

Plantae flore perfecto, pentapetalo, vmbellato.

Vmbellatae ſiue vmbelliferae plantae dicuntur, quae ex apice caulis et ramorum, radiis plus minus copioſis ſurgunt, pauciores ſunt ſimplices, in reliquis vero ex ſummitate radii iterum pedunculi flores ſuſtinentes, radiati exeunt, & vmbellulas ſiſtunt, quae igitur vmbellae compoſitae dici merentur. In his ſequentes partes conueniunt, et attendi merentur.

Inuolucra vniuerſalia vmbellae maioris & partialia vmbellularum Artedus, et poſt eum Linnaeus tanquam fundamentum diſtributionis aſſumſerunt, licet nimis varient, et vix ſemper eſſentialia ſint.

Ouarium

Ouarium in ſine pedunculo, calice quinquedentato, ſaepius vix conſpicuo, coronatur.

Petala ſunt quinque, quorum irregularitas tum ratione figurae, tum ratione ſitus ſaepius euidens, ſaepius incerta eſt, dantur tamen, quae omnino ad flores regulares referri merentur. Ad flores roſaceos retulit Tournefortius, ad irregulares pentapetalos Riuinus. Nobis peculiarem claſſem conſtituere placuit.

Stamina quinque in omnibus, hinc ad Pentandrias retulit Linnaeus.

Styli bini, vt plurimum reflexi et perſiſtentes, hinc ad digynias retulit Linnaeus.

Semina bina, lateribus planis inter ſe coalita, de reliquo figura maxime diuerſa, quae ideo, quoniam ſimul cum floribus examinari poſſunt, omnino in methodo attendi merentur.

In vmbellis denſis vel medii vel laterales flores ſaepe ſemina non perficiunt, forte ob defectum ſucci, hinc ſtaminei, tantum apparent.

654. HYDROCOTYLE. *Tourn.*

Radix repentiſſima; folia peltata; vmbella parua, irregularis; inuolucrum tetraphyllum; petala integra, vix irregularia; ſemina plana, ſemiorbiculata.

655. ASTRANTIA. *Tourn. et Riv.*

Folia quinquifida, magna; vmbella ſimplex; inuolucrum polyphyllum, foliolis latiuſculis, apice dentatis vel acutis; calix ouulis inſiſtens quinquedentatus; petala leuiter inciſa, reflexa, regularia; ſemina oblonga, ſubhirſuta, criſpa vel ſtriata.

656. PASTINACA. *Tourn.*

Radix craſſa, carnoſa, ſucculenta; folia ampla, coſta craſſa fulta; vmbella vniuerſalis magna, par-

tialis nullo inuolucro cincta; corolla regularis, petalis integris, apice inflexis; ſemina plana, margine foliaceo cincta.

PANAX. *Riv. forte huc referri poſſet.*

657. ANETHVM. *Tourn. et Riv.*

Radix annua, tenera, fibroſa; folia multifida, capillacea; vmbella ampla, inuolucro vniuerſali et partiali deſtituta; petala integra, recurva; ſtyli parui; ſemina ouata, plana, ſtriata, marginata.

ANETHVM. *Linn. hanc et Foeniculi ſpecies, licet margine ſeminis deſtitutas, coniungit.*

658. PODAGRARIA. *Riv.* AEGOPODIVM. *Knaut. et Linn.*

Vmbella magna, conuexa; inuolucrum vniuerſale et partiale nullum; petala cordata, irregularia, inprimis exteriora; ſemina oblonga, conuexa, ſtriata.

Tourneſortius ad Angelicas retulit.

659. THAPSIA. *Tourn.*

Radix vel craſſa lacteſcens, vel fibroſa; folia tenuiter ſecta; vmbella magna; inuolucrum vniverſale et partiale nullum; petala integra, reflexa, regularia; ſemina plana, oblonga, margine amplo, ſuperius et inferius emarginato vtrinque cincta.

660. IMPERATORIA. *Tourn.*

Folia tripartito-diuiſa et ſubdiuiſa; vmbella magna, plana; vniuerſalis inuolucro deſtituta, partialis inuolucro polyphyllo, paruo, inſtructa; petala leuiter inciſa, inflexa, vix irregularia; ſemina plana, ouata, leuiter ſtriata, in alas paruas extenſa.

661. AN-

661. ANGELICA. *Riv.*

Folia magna, laciniata; vmbella magna, conuexa; inuolucrum vniuerſale ferme nullum, partiale polyphyllum; petala regularia, apice introrſum flexo; ſemina oblonga, tribus ſtriis inſignita, magna, craſſa, alis anguſtioribus.

662. FERVLA. *Tourn.*

Radix valida, lacteſcens; vmbella vniuerſalis et partialis globoſa; inuolucrum vniuerſale vel nullum, vel caducum, partiale polyphyllum, paruum; petala oblonga, emarginata, vix irregularia; ſemina ouata, longiora, ſtriata, inuolucrum deponentia.

663. TORDYLIVM. *Tourn. et Riv.*

Radix perennis; vmbella vniuerſalis inuolucro multifido, magno, partialis breuibus foliolis, extrorſum longioribus, cincta; petala bifida, exteriora maiora; ſemina orbiculata, plana, compreſſa, margine elato, vt plurimum denticulato, vel granulato, integumentum ſaepius deponunt.

664. SPHONDYLIVM. *Tourn. et Riv.*

HERACLEVM. *Linn.*

Radix perennis; vmbella vniuerſalis magna, paucis foliolis deciduis, partialis ſimili modo ſuccincta; petala bifida, exteriora quaſi cornuta, corollam maxime irregularem ſiſtunt; ſtyli erecti; ſemina ampla, ſtriata, plana, ſumma parte emarginata, in interiori ſuperficie duabus lineis nigris notata, integumentum plerumque deponentia.

665. SELINVM. *Linn.*

Vmbella magna, plana; inuolucrum vniuerſale polyphyllum, reflexum, partiale polyphyllum,

 patens;

patens; petala cordata, vix irregularia; ſemina oblonga, plana, ſtriata, marginata, inuolucrum non raro deponentia.

OREOSELINVM. *Riv. folia multifida, pinnata, pinnulis refractis.*

CERVARIA. *Riv. folia multifida, pinnata, pinnis amplioribus.*

OREOSELINVM. *Tourn. haec bina genera coniungit.*

THYSSELINVM. *Tourn. et Riv. radix viuax, lacteſcens; folia leuiter lacteſcentia.*

666. CRITHMVM. *Tourn.*

Radix fibroſa, ſparſa; folia ſucculenta, craſſiuſcula, tripartito-diuiſa & ſubdiuiſa; vmbella hemiſphaerica; inuolucrum univerſale et partiale polyphyllum; petala oblonga, inflexa, vix irregularia; ſemina oblonga, plana, ſtriata, inuolucrum deponentia.

667. ARTEDIA. *Linn.*

Vmbella magna; inuolucrum vniuerſale decaphyllum, foliolis trifetis, partiale extrorſum vergens, ex tribus vel duobus foliolis pinnatis conſtans; petala cordata, reflexa, in primis in margine irregularia; ſemina oblonga, compreſſa, margine membranaceo, crenato, conſpicua.

668. PEVCEDANVM. *Tourn.*

Radix viuax; folia multifida, vt plurimum tripartito-diuiſa; vmbella plana; inuolucrum vniverſale ferme nullum, partiale polyphyllum, exiguum; petala oblonga, integra, regularia; ſemina plana, fere ouata, leuiter ſtriata, marginata, coniuncta, calice proprio, quinquedentato, coronata.

SILAVM.

SILAVM. *Boerh. necnon* SESELI. *Riv. a Linnaeo et Hallero huc reducuntur, ſemina magis ſtriata videntur.*

669. FOENICVLVM. *Tourn. et Riv.*

Folia multifida, capillacea; vmbella ampla; involucrum vniuerſale nullum, partiale vel nullum vel polyphyllum; petala integra, regularia; ſtyli breues; ſemina oblonga, craſſiuſcula, gibba, ſtriata.

Linnaeus ſpecies Foeniculi partim ad Anethum, partim ad Seſeli refert.

670. CVMINVM. *Rai. et Riv.*

Planta annua, parua; ſolia linearia; vmbellae irregulares, paucorum floſculorum, ſoliolis plantae tenerioribus ſuccinctorum; petala leuiter inciſa, vix irregularia; ſemina longa, ouata, conuexa parte ſtriata, villoſa.

Tournefortius ad Foeniculum reduxit.

671. CARVM. *Riv.* CARVI. *Tourn.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale et partiale vel nullum vel vnius alteriusque folioli; petala cordata, vix irregularia; ſemina longiuſcula, gibba, ſtriata.

672. PIMPINELLA. *Riv. et Linn.*
TRAGOSELINVM. *Tourn.*

Folia pinnata, ſuperiora profundius inciſa; vmbella plana; inuolucrum vniuerſale et partiale nullum; petala leuiter inciſa, irregularia; ſemina oblongo-cuſpidata, ſtriata.

673. SCANDIX. *Tourn.*

Vmbella vniuerſalis pauciorum, ſaepius binorum radiorum; vmbella partialis ſubrotunda, involucro

volucro polyphyllo praedita; petala integra, in exterioribus floſculis in primis irregularia; ſemina oblonga, ſtriata, roſtro longo conſpicua.

SCANDIX. *Linn. Myrrhides et Chaerophylli Tournefortii ſpecies ſimul complectitur.*

674. MYRRHIS. *Tourn.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale polyphyllum; petala cordata, irregularia; ſemina oblonga, ſulcata, leviter roſtrata.

ODORATA. *Riv. non niſi magnitudine ſeminis a Myrrhide differre videtur.*

675. CHAEROPHYLLVM. *Linn.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale polyphyllum; petala integra, irregularia; ſemina oblonga, non ſtriata, leuiter roſtrata.

CEREFOLIVM. *Riv. huc quoque pertinere videtur.*

ANTHRISCVS. *Riv. ſemina habet villoſa, et vmbellam vniuerſalem maiorem, de reliquo huc referri meretur.*

676. SESELI. *Boerh. et Linn.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale polyphyllum; petala cordata, reflexa, quodammodo irregularia; ſemina ouata, ſulcata.

HIPPOMARATHRVM. *Riv. ſemina villoſa obtinet, et huc referri meretur.*

677. MEVM. *Tourn.* ATHAMANTA. *Linn.*

Radix perennis, caulefcens; folia omnium tenuiſſima; vmbella plana: inuolucrum vniuerſale nullum,

nullum, vel vnius alteriusque folioli, partiale polyphyllum; petala leuiter inciſa, vix irregularia; ſemen oblongum, profundius ſtriatum.

678. OENANTHE. *Tourn. et Riv.*

Vmbella varia; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale polyphyllum; calix ouulis inſiſtens quinquedentatus; petala cordata, reflexa, irregularia; ſemina longiuſcula, gibba, ſtriata, denticulis calicis perſiſtentibus.

679. SANICVLA. *Tourn.*

Folia lobata, in quinque ſegmenta profunde inciſa; vmbella vniuerſalis rara, irregularis, inuolucrum breue; vmbella partialis denſa, quaſi glomeruli floſculorum, inuolucro breui, tenui, ſuccincta; petala inciſa, a latere extrorſum flexa; ouula coniuncta calice quinquedentato coronata, ſtamina petalis inflexis longiora; tubae longae, reflexae; ſemina oblonga, gibba, lappacea.

680. DAVCVS. *Tourn.* STAPHYLINVS. *Riv.*

Vmbella magna, plana, per maturitatem conniuens; inuolucrum vniuerſale ampliſſimum, foliolis pinnatifidis, anguſtis, partiale polyphyllum; petala oblonga, exteriora inciſa, maiora, hinc corolla irregularis; ſemina elliptica, conuexa, hiſpida.

681. CAVCALIS. *Tourn.*

Vmbella vniuerſalis rarior, partialis denſa; inuolucrum vniuerſale et partiale paruum, foliolis paucis conſpicuum; petala cordiformia, vt plurimum irregularia; ſemen oblongum, ſecundum longi-

longitudinem plus minusque ſulcatum, ſulcis denticulatis vel aſperis.

ECHINOPHORA. *Riv. quae magnitudine ſeminum diſtinguitur, huc referatur.*

682. LIBANOTIS. *Riv.*

Folia pinnata, profunde inciſa; vmbella globoſa, denſa; inuolucrum vniuerſale et partiale polyphyllum, paruum; petala leuiter inciſa, vix irregularia; ſemina ſtriata, villoſa.

683. LIGVSTICVM. *Linn.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale et partiale foliolis plus minus copioſis conſpicuum; petala ſubrotunda, interdum leuiter inciſa, vix irregularia; ſemina oblonga, magna, ſtriata, interdum marginata.

Complectitur genera ſequentia:

SILER. *Riv. folia multifida, lobata, maiora, obtuſa, ſine tripartito.*

LEVISTICVM. *Riv.* LIGVSTICVM. *Tourn. folia multifida, lobata, anguloſa.*

CICVTARIA. *Tourn. ſemen gibbum, lunatum.*

684. LASERPITIVM. *Tourn.*

Vmbella magna, inuolucrum vniuerſale plus minus inſigne, polyphyllum, partiale polyphyllum; petala inflexa, cordata, vix irregularia; ſemina oblonga, gibba, quatuor alis foliaceis, per longitudinem decurrentibus, vel planis vel criſpis, inſtructa.

685. BVPLEVRVM. *Linn.*

Folia integerrima; vmbella plana, rarior; inuolucrum vniuerſale vel nullum, vel pauciorum foliorum, partiale penta - vel hexaphyllum; petala

tala leuiter inciſa, regularia; ſemina oblonga, ſtriata.

PERFOLIATA. *Riv. folia caulem cingentia ſiue perfoliata obtinet et huc refertur.*

686. BVNIVM. *Linn.* BVLBOCASTANVM. *Tourn.*

Radix perennis, carnoſo-tuberoſa; vmbella magna: inuolucrum vniuerſale et partiale polyphyllum; petala cordata, regularia; ſemina exigua, oblonga, conuexa, ſtriata.

687. BVBON. *Linn.*

Vmbella magna: inuolucrum vniuerſale pentaphyllum, partiale polyphyllum; petala quinque, oblonga, vix irregularia; ſemina oblonga, ſtriata, villoſa.

688. CACHRYS. *Tourn.*

Vmbella magna, denſa; inuolucrum vniuerſale et partiale polyphyllum; petala longa, anguſta, erecta, regularia; ſemina oblonga, gibba, craſſa, cortice fungoſo, ſtriato, obducta.

689. SMYRNIVM. *Tourn. et Riv.*

Vmbella magna; inuolucrum vniuerſale et partiale nullum; petala longa, anguſta, erecta, regularia; ſemina oblonga, gibba, ſtriata, per maturitatem nigra.

690. CORIANDRVM. *Tourn. et Riv.*

Radix fibroſa, annua; folia pinnata, laciniata, inferiora maiora, ſuperiora tenuiſſima; vmbella radiis vel paucioribus vel pluribus; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale triphyllum, extrorſum poſitum;

poſitum; petala cordata, irregularia; ſemina hemiſphaerica, non ſtriata.

691. CICVTA. *Tourn. et Riv.* CONIVM. *Linn.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale et partiale nullum, vel breuibus foliolis conſtans; petala cordata, quodammodo irregularia; ſemina hemiſphaerica, ſtriata.

692. ETHVSA. *Linn.* CYNAPIVM. *Riv.* Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale triphyllum, extrorſum poſitum, deflexum; petala cordata, inaequalia; ſemina ſubrotunda, ſtriata.

693. SIVM. *Hall.*

Vmbella magna; inuolucrum vniuerſale foliola quaedam anguſta, vel nulla, partiale foliola, vel circa vmbellam, vel ab externo eius latere tantum poſita oſtendit; petala leuiter inciſa, vix irregularia; ſemina ſubrotunda, plus minus craſſa, ſtriata.

SIVM. Tourn. radix cauliformis, fibroſa; folia pinnata, extremo impari; ſemina gibba.

CICVTA. Linn. CICVTARIA. *Riv. radix cauliformis, fibroſa; folia pinnata, pinnis laciniatis; ſemina gibba.*

SISARVM. Tourn. radix napiformis, plurimis ab vno capite pendentibus, perennis; folia pinnata, impari extremo; ſemina gracilia.

FALCARIA. Riv. radix caulescens; folia pinnata, pinnis multifidis, falcis inſtar ſerratis; ſemina gracilia.

Semina plus minusque gracilia vel craſſa vix limites certos figunt, hinc omnia ſub vno genere collocare

care placuit. Linnaeus Sium, Siſarum et Falcariam coniungit, Cicutariam excludit.

694. PHELLANDRIVM. *Tourn. et Riv.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale nullum, partiale aliquot foliolorum; calix quinquedentatus, ouulis inſiſtens; petala cordiformia, vix irregularia; ſemina ſubrotunda, vix ſtriata.

695. APIVM. *Tourn. et Riv.*

Vmbella plana; inuolucrum vniuerſale et partiale vel nullum vel pauciorum foliorum; petala oblonga, regularia; ſemina oblonga, gibba, ſtriata, vel glabra, vel villoſa.

ANISVM. *Riv. non niſi ſemine maiore, odoratisſimo ab Apio differre videtur.*

696. VISNAGA. *Riv.* GINGIDIVM. *C. B.*

Radix fibroſa, annua; vmbella plana, magna, per maturitatem contracta; inuolucrum vniuerſale polyphyllum, foliolis pinnatifidis, partiale polyphyllum; petala oblonga, vix irregularia; ſemina breuia, ſtriata.

Linnaeus in generum editione priori ad Ammi, in altera ad Daucum retulit.

697. AMMI. *Tourn.* AMMIVM. *Sieg.*

Vmbella magna; inuolucrum vniuerſale polyphyllum, foliolis pinnatis, acutis, partiale polyphyllum; petala cordata, inflexa, irregularia; ſemina exigua, gibba, ſtriata.

AMMIOSELINVM. *Riv.* AMMI. *Boerh. folia latiora; ſemina ſtriata.*

AMMI. *Riv.* AMMOIDES. *Boerh. folia tenuisſima; ſemina ſubhirſuta.*

CLASSIS XIII.

Plantae flore perfecto, hexapetalo.

A. DIANTHERAE.

Plantae huc referendae, Orchides et genera affinia, ſcapo ſimplici inſtructae ſunt, et ſpathas vagas, ſiue foliola, ad flores in ſpica poſitos, obtinent.

Ouarium ſub flore eſt, et ſiſtit capſulam vnilocularem, apparenter trilocularem, triualuem, quae ſemina puluerulenta in tres aceruos colligit. Capſula ipſa non raro intorta eſt.

Petala ſex, irregulariter poſita, quinque in plurimis galeam quaſi forment, ſeu cucullum, ſextum bilabiatum eſt, et nectarium Linnaeo dicitur, labium ſuperius ſtamina bina in loculis peculiaribus exſculptis ſuſcipit, labium inferius variae in variis figurae, vel calcare donatur, vel hoc deſtituitur.

Stylus breuiſſimus, ſeu potius via ad ouarium, cui, tanquam parti carnoſae, a latere filamenta ſtaminum adhaerent.

698. ORCHIS. *Hall.*

Petala ſuperiora quinque, tria exteriora, duo interiora, conniuentia in galeam, petali ſexti labium ſuperius minimum, biloculare, labium inferius calcar poſterius emittit, aut longum, aut breue, aut nullum, ipſumque labium tripartitum, varie in diuerſis figuratum eſt; ſtamina bina, antheris in loculis labii ſuperioris haerentibus.

Nec

Nec Calcar, nec labii inferioris diuerſae figurae characteres certos exhibent, quibus genera ſubdiuidi poſſent, hinc huc reducatur:

ORCHIS. *Riv. quae radices rotundas, teſticulatas ſub fibris obtinet.*

PALMATA. *Riv. quae ſub fibris emisſis radices carnoſas, napiformes vel digitatas obtinet.*

ORCHIS. *Linn. quae calcar habet longum, vel ſatis inſigne.*

SATYRIVM. *Linn. quod calcar habet breuisſimum vel nullum.*

MONORCHIS. *Mich.* HERMINIVM. *Linn. quae ſub fibris radicem carnoſam, ſubrotundam, ſimplicem habet, et calcar breue aut nullum obtinet.*

PSEVDORCHIS. *Mich. quae radices carnoſas, teretes, diſtinctas et calcar breue obtinet.*

699. HELLEBORINE. *Hall.* SERAPIAS. *Linn.*

Radix fibroſa; folia neruoſa, duriora; petala quinque ſuperiora, tria exteriora, duo interiora, magis conniuentia, petalum ſextum labium ſuperius, ex duplici ſquama biualui compoſitum, inferius integrum obtinet.

HELLEBORINE. *Riv. radices fibroſas; labium inferius inflexum, nullum calcar obtinet.*

DAMASONIVM. *Riv. radices fibroſas; labium inferius acutum et nullum calcar obtinet; cucullus etiam maior eſt.*

ORCHIASTRVM. *Mich. radix ſub fibris emisſis ex pluribus carnoſis, teretibus partibus, compoſita; labio inferiori petali ſexti ſubrotundo.*

700. EPIPACTIS. *Hall.* ORCHIOIDES. *Trew.* PSEVDORCHIS. *Iobr.*

Radix fibroſa; habitus Helleborines; flores in ſcapo ſimplici, vno verſu diſpoſiti; ſpathae vagae; ouarium ſub flore; petala tria ſuperiora cucullum formantia, petalum quartum bilabiatum, labio ſuperiori bina ſtamina ſuſcipiente, labio inferiori integro; fructus eſt capſula vnilocularis, apparenter trilocularis; ſemina ſubtiliſſima.

701. SATYRIVM. *Riv.*

Radix napiformis, duplex ſub fibris emiſſis; petala quinque, duo interiora, tria exteriora, magis patentia, petalum ſextum calcare longiſſimo donatum, labio inferiori integro, acuto.

702. OPHRIS. *Tourn.* OPHRYS. *Linn.*

Radix fibroſa; folia bina, raro terna, oppoſita, petala quinque ſuperiora, duo exteriora, tria interiora, labium inferius ſexti petali longius ſemibifidum, calcar nullum.

703. NIDVS AVIS. *Tourn.*

Radix ex fibris multis, breuibus et craſſis, inſtar nidi auis compoſita; habitus aphyllus; labium inferius ſemibifidum, ſegmentis a latere reflexis.

Ab Hallero ad genus praecedens, a Linnaeo ad ſequens refertur.

704. CORALLORHIZA. *Rupp.* NEOTTIA. *Linn.*

* Radix varie intorta, coralloidea; petala quinque ſuperiora, duo exteriora longiora, tria interiora breuiora, labium inferius petali ſexti integrum, bidentatum, calcar nullum.

705. CALCEOLVS. *Tourn. et Riv.* CYPRIPEDIVM. *Linn.*

Radix fibroſa; folia neruoſa; petala quatuor exteriora, ſupremum latius, acuminatum, tria inferiora anguſta, reliqua bina petala in medio conſtituta, ſuperius breue, inferius contractum, cauum, calceiforme.

706. LIMODORVM. *Tourn.*

Radix fibroſa; habitus aphyllos; petala quinque ſuperiora acuta, conniuentia, petalum ſextum calcare donatum, labio inferiori integro, acuto.

LIMODORVM. *Linn. cum praecedenti ferme conuenire videtur, ſed calcare deſtituitur.*

707. VANILLA. *Plum.* EPIDENDRVM. *Linn.* ANGVREK. *Kaempf.*

Petala quinque exteriora maiora, vndulata, acuta, petalo ſexto bilabiato, labio ſuperiori ſtamina ſuſcipiente, inferiori contorto, acuto; fructus eſt ſiliqua longiſſima, carnoſa, ſemina minutiſſima continens.

B. TRIANTHERA.

708. BERMVDIANA. *Tourn.* SISYRINCHIVM. *Linn.*

Radix perennis, vel fibroſa, vel bulboſa; folia anguſta, carinata; ſpatha diphylla, foliolis carinatis; ouarium ſub flore; corolla ſtellata, petalis planis, acuminatis; ſtamina ſtylo accreta; ſtylus ſimplex, ſtigma trifidum; fructus eſt capſula trigona, triualuis; ſemina ſubrotunda.

C. HEXANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

709. LEONTOPETALON. *Tourn.* LEONTICE. *Linn.*

Radix tuberoſa; calix minimus, hexaphyllus, deciduus; corolla roſacea, petalis tribus interioribus minoribus, exterioribus maioribus; ſtylus breuisſimus, obtuſus; fructus eſt veſica anguloſa, cuſpidata, cui inſunt ſemina globoſa.

710. PORTVLA. *Dill.* GLAVCOIDES. *Mich.* PEPLIS. *Linn.* ANDRACHNOIDES. *Sieg.*

Folia coniugata; flores in alis foliorum ſeſſiles, a latere compreſſi; calix peluiformis, in ſex lacinias diuiſas, denticulis ſex minoribus interpoſitis; corolla roſacea, fugax, petalis denticulis interpoſitis; ſtylus breuis, ſtigma orbiculatum; capſula ſubrotunda, linea exterius impreſſa diuiſa, bilocularis; ſemina exigua.

Portulacis adſcribit Ruppius et vnicapſularem appellat.

711. ORNITHOGALVM.

Folia ad florum pedunculos loco calicis; calix nullus; corolla liliacea, petalis variis; filamenta ſtaminum vel omnia vel tria tantum latiora, membranoſa; fructus eſt capſula non nihil anguloſa, trilocularis, triualuis; ſemina ſubrotunda.

712. SCILLA.

Foliola ad florum pedunculos loco calicis; calix nullus; corolla liliacea, petalis variis; filamenta ſtaminum ſubulata, glabra; capſula ſubrotun-

rotunda, non nihil anguloſa, triualuis, trilocularis; ſemina ſubrotunda.

713. PHALANGIVM.

Foliola ad florum pedunculos loco calicis; calix nullus; corolla liliacea, petalis oblongis; filamenta ſtaminum hirſuta; fructus vt in praecedentibus.

Modus florendi in vmbella et ſpica; radix bulboſa, fibroſa, tuberoſa; inuolucra florum ſpathacea; petala decidua et perſiſtentia, patentia vel erecto-patentia, et figura fructus adeo variant in his generibus, vt non niſi in filamentis ſtaminum differentiam inuenerim conſpicuam et certam; inſignem vero Methodicorum differentiam ſequentibus quodammodo explicare annitar.

Tournefortius ORNITHOGALA *et Scillas coniungit, ob radicem bulboſam et tuberoſam, et* PHALANGIVM *radice fibroſa diſtinguit.*

LILIO-HYACINTHVM *ob radicem bulboſo-ſquamoſum, Lilii radici ſimilem, diſtinguit, quem ad Scillam noſtram referimus.*

Dillenius ORNITHOGALVM *filamentis latioribus,* STELLAREM, *filamentis anguſtis aſſumit et ita diſtinguit, vt olim Raius* SCILLAM *et* HYACINTHVM STELLAREM, *quem Knauthius* HYACINTHOIDEM *dixit, ab Ornithogalo ſeparaverat.*

Linnaeus ORNITHOGALVM *petalis et ſtylo perſiſtente,* SCILLAM *petalis et ſtylo deciduis aſſumit, Ornithogalis filamenta varia, Scillis ſubulata, glabra adſcribit, et ita Phalangium filamentis hirſutis diſtinguit. In editione generum prima* BVLBINEN, *in altera* ANTHERICVM *appellat.*

Hallerus in ORNITHOGALO *filamenta latiora aſſumit; Phalangium vero et Scillam noſtram ſub vnico* PHALANGII *nomine coniungit, ordinesque a radice fibroſa et bulboſa conſtituit.*

Siegesbeckius ſpecies vmbellatas ORNITHOGALA, *ſpicatas* ORNITHOGALOIDES *appellat.*

ANTHERICVM. *Hall. et Linn. in edit. gener. prima, ſtylis tribus, diſtinctisque tribus ſiliculis a praecedentibus differre videtur.*

714. LILIASTRVM. *Tourn.*

Radix fibroſa, napiformis; calix nullus; corolla liliacea; ſtigma trigonum; fructus eſt capſula trigona, trilocularis, triualuis; ſemina angulofa.

HEMEROCALLIS. *Linn. et hoc genus et Lilio-Aſphodelum Tournefortii coniungit.*

715. LILIVM. *Tourn.* LIRIVM. *Roy.*

Radix bulboſo-ſquamoſa; calix nullus; corolla liliacea, linea nectarifera ad baſin petali; ſtigma triangulare; fructus eſt capſula oblongo-furcata, trigona; ſemina plana, duplici ſerie in quolibet loculo poſita.

MARTAGON. *Rupp. petalis extrorſum reuolutis a Lilio differt.*

716. METHONICA. *Tourn.* GLORIOSA. *Linn.*

Radix carnoſa, forma rectanguli, venenata; caules ſcandentes; folia alterna, ſuperius capreolata; calix nullus; corolla liliacea, petalis vndulatis, extrorſum reuolutis; ſtigma trifidum; fructus eſt capſula oualis, trilocularis, triualuis; ſemina globoſa.

717.

717. TVLIPA. *Tourn.*

Radix bulboſa, tunicata; ſcapus ſucculentus; corolla liliaceo-campanulata, petalis oblongo-cuſpidatis, concauis; ſtylus breuiſſimus, ſtigma trilobum; capſula trigona, trilocularis, triualuis; ſemina compreſſa.

.718. FRITILLARIA. *Tourn.*

Calix nullus; corolla liliaceo-campanulata, pendula, ad vnguem petali cuiuslibet fouea nectarifera oblonga; ſtigma trifidum; capſula oblongo-trigona, triualuis; ſemina plana.

Fritillaria radicem ex duobus tuberibus conſtantem obtinet, LILIO-FRITILLARIA *ideo Boerh. appellatur, quae radice Lilii gaudet.*

719. CORONA IMPERIALIS. *Tourn.*

Radix bulboſa, tunicata, odore nauſeoſo; ſcapus mollis, inferius foliis veſtitus, medio nudus, ex corona folioſa in ſummitate flores pendulos emittit; calix nullus; corolla liliaceo-campanulata, ad vnguem petali cuiuslibet fouea nectarifera ſubrotunda; ſtigma triangulare, ſulcatum; capſula oblonga, acuta, trilocularis; ſemina plana.

Linnaeus in prima gener. edit. PETILIVM *appellauerat, in altera ad Fritillariam reduxit.*

720. ERYTHRONIVM. *Linn.* DENS CANIS. *Tourn.*

Radix carnoſa, dentis canini forma: flos pendulus; calix nullus; corolla liliacea, reflexa, tubercula bina cuilibet petalo ex tribus interioribus accreta; ſtigma trifidum; capſula ſubrotunda; ſemina oblonga.

721. LEVCOIVM. *Linn.* LEVCOIVM BVLBOSVM. *Rai.* LEVCONARCISSOLIRIVM. *Knaut.* NARCISSO-LEVCOIVM. *Tourn.* CHIANTHEMVM. *Sieg.*

Radix bulboſa, tunicata; ſcapus mollis, in cuius ſummitate ſpatha oblonga, ex laterali fiſſura emittens vnicum vel plures flores; ouarium ſub flore poſitum; corolla patens, liliacea, petalis ouati; ſtylus ſuperius craſſior, ſtigma ſetaceum; capſula ſubrotunda, trilocularis, triualvis; ſemina ſubrotunda.

722. GALANTHVS. *Linn.*

Radix, ſcapus, ſpatha et ouarium vt in praecedente; corolla petalis tribus exterioribus oblongis, interioribus tribus breuioribus, obtuſis, emarginatis conſtat; fructus vt in praecedente.

723. AMARYLLIS. *Linn.* LILIO-NARCISSVS. *Tourn.*

Radix bulboſa, tunicata; ſcapus ſucculentus; ſpatha oblonga, ex cuius laterali fiſſura flos emergit; ouarium ſub flore poſitum; corolla liliacea, petalis cum ſtaminibus et piſtillo irregulariter reflexis; ſtigma trifidum; capſula oblongo-trigona; ſemina ſubrotunda.

724. ALLIVM. *Hall.*

Folia ſuccoſa; ſcapi vt plurimum nudi; ſpatha communis, membranacea, ſubrotunda, cornuta; flores in vmbella ſimplici; calix proprius nullus; corolla petalis oblongis, erectis, plus minusque patentibus; capſula variae formae, trigona, trilocularis, triualuis; ſemina ſubrotunda.

In

In ſequentia vero genera ab auctoribus diſtinctum fuit genus hoc naturale.

ALLIVM. Tourn. radix bulboſa, tunicata, compoſita; odor olidus in omnibus plantae partibus; folia plana, non caua.

ALLIVM. Linn. filamenta ſtaminum ſubulata, diſtincta.

MOLY. *Boerh. ab Allio floribus magis ſpecioſis et odore ſuaui differt.*

CEPA. Tourn. radix bulboſa, tunicata, orbicularis; folia fiſtuloſa; caules fiſtuloſi, ventricoſi.

CEPA. Linn. filamenta ſtaminum ſubulata, in baſi lata, coalita in vnum tubum.

PORRVM. Tourn. radix bulboſa, tunicata, fere cylindracea; folia lata, non fiſtuloſa, quandoque carinata.

PORRVM. Linn. filamenta ſtaminum lata, tria ſimplicia, tria ſummitate trifida, anthera in medio denticulo poſita.

SCORODOPRASVM. *Mich. radix Allii; ſtamina Porri.*

Sunt et quaedam Allii ſpecies capite bulbifero, in quibus bulbilli flores, piſtillo et ſtaminibus imperfectis praeditos, gerunt, aliis floribus et ſtaminibus et fructu perfecto donatis.

725. APHYLLANTHES. *Linn.*

Calix ex ſquamis imbricatis compoſitus, tubuloſus; corolla caryophyllaea, petalis in tubum, ſuperius limbo patente inſtructum, diſpoſitis; ſtigma trifidum; capſula turbinata, triangularis, trilocularis; ſemina ouata.

726. VVVLARIA. *Linn.*

Calix nullus; corolla liliacea, petala oblonga, acuta, fouea nectarifera ad baſin inſculpta; filamen-

ſilamenta latiuſcula: ſtylus in tres tubos diuiſus; ſtigmata reflexa; fructus eſt capſula oblonga, trilocularis; ſemina ſubrotunda, compreſſa.

Ad Fritillariam retulit Boerhaavius.

727. BVLBOCODIVM. *Linn.*

Calix nullus; corolla infundibuliformi ſimilis, petala vnguibus anguſtis, limbis oblongis, concauis; ſtamina petalis adhaerentia; ſtigmata tria; fructus eſt capſula trilocularis, ſemina multa continens.

728. PANCRATIVM. *Dill.*

Radix bulboſa; calix nullus; ouarium ſub flore; petala ſex anguſta, ouario adhaerentia, ex quo ſurgit tubus non nihil ampliatus, anguloſus, ex cuius angulis filamenta oriuntur, quae antheras verſatiles gerunt; fructus eſt capſula trilocularis, triualuis, ſeminibus globoſis foeta.

729. BERBERIS. *Tourn.*

Frutex ſpinoſus; folia oblonga, ciliata; flores in ſpicis pendulis; calix hexaphyllus, foliolis tribus exterioribus minoribus, interioribus maioribus, coloratis, deciduus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, corpuſculis binis ad vnguem poſitis; ſtigma orbiculatum; bacca cylindracea, ſeminibus vno vel duobus vel imperfectis, praedita.

730. ASPARAGVS. *Tourn.*

Radix caulеſcens, fibroſa; folia tenuiſſima; calix nullus; corolla roſaceo-campaniformis, petalis tribus, alternis, oblongis, nonnunquam reuolutis; ſtylus breuisſimus; fructus eſt bacca rotunda, ſeminibus rotundis, durioribus foeta.

2. TRI-

2) *TRISTYLAE.*

731. VERATRVM. *Tourn.* HELLEBORVS ALBVS. *Rai.*

Folia neruoſa, ſtriata, ac velut plicata; ſcapus in multis ſpicis flores fert; calix nullus; corolla ſtellata, petalis oblongis, perſiſtentibus; ouaria tria, ſtylis breuisſimis ornata; fructus tricapſularis, vaginulis vniualuibus; ſemina oblonga, ala membranacea cincta.

Floris ſpicae inferiores fructum vix perficiunt, ſed ſola ſtamina oſtendunt.

732. MEDEOLA. *Linn.* SALSA. *Feuill.*

Calix nullus; petala oblonga, patentia, reuoluta; ouaria tria, baſi coalita; fructus eſt capſula trilocularis; ſemen cordatum in quolibet loculo.

733. MENISPERMVM. *Tourn.* CISSAMPELOS. *Rupp.*

Calix hexaphyllus, caducus; corolla roſacea, petalis oblongis, concauis; ouaria tria; fructus eſt bacca triplex, ſemine lunato foeta.

Partes floris ſaepius pauciores, hinc florem tetrapetalum Dillenius appellauit.

D. POLYANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

734. SALICARIA. *Tourn.* LYTHRVM. *Linn.*

Calix tubuloſus, ſtriatus, ſuperius denticulatus, denticulis ſex acutis, ſex latioribus, breuioribus; corolla roſacea, petalis oblongis, ad denticulos acutos inſertis; ſtamina duodecim; ſtigma

ſtigma orbiculatum; fructus eſt capſula ouata, calice cincta, bilocularis; ſemina exigua.

735. THEA. *Rai. et Linn.*

Calix minimus, planus, ſexpartitus; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, concauis; ſtigma trifidum; capſula trilocularis, tricoccos; ſemina globoſa.

736. PVNICA. *Tourn.*

Calix ouarium in ſe continens, monophyllus, quinquifidus, vel ſexfidus, colore ruberrimo; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calici inſertis; fructus pomiformis, ſegmentis calicis coronatus, cortice lento, loculis irregularibus; ſemina oblonga, pulpa ſucculenta, vinoſa, cincta.

2) *TRISTYLAE.*

737. RESEDA. *Tourn.*

Folia pinnatifida; flores in ſpica; calix quinquifidus, ſegmentis anguſtis, retroflexis; corolla ex anguſtis aliquot petalis, vt plurimum ſenis, compoſita, ſuperioribus plerumque trifidis; fructus trigonus vel tetragonus, in ſummo hians, ſemina minutisſima continens.

738. LVTEOLA. *Tourn.*

Folia oblonga, integra; flos ad Reſedam quodammodo accedens, petala tria vel quinque vel ſex, ſupremum ſexfidum; ſtyli tres.

739. SESAMOIDES. *Tourn.*

Folia oblonga, integra; flos Reſedae analogus; fructus polyceratus vel ſtellatus, ſemine reniformi foetus.

RESEDA. *Linn. haec tria genera coniungit.*

740.

740. DELPHINIVM. *Tourn.*

Folia laciniata; calix nullus; petala quatuor oblonga, patentia, quintum oblongum, in calcar poſterius extenſum, in quod inſeritur ſextum nectariferum, quaſi bilabiatum; ſtamina declinata, filamentis planis inſtructa; fructus ex vna vel pluribus vaginulis vniualuibus conſtat, quae ſemina anguloſa continent.

STAPHISAGRIA. *Riv. quintum et ſextum petalum duplicatum oſtendit.*

3) *POLYSTYLAE.*

741. FILIPENDVLA. *Tourn.*

Radix fibroſa, perennis, appenſis tuberibus minoribus conſpicua; folia pinnata, tenuiter diſſecta; calix minor, monophyllus, ſegmentis ouatis, reflexis; fructus globoſus, ex vaginulis duodecim vt plurimum conſtans; ſemina oblonga.

FILIPENDVLA. *Linn. Vlmariam et Filipendulam Tournefortii complectitur.*

742. PVLSATILLA. *Tourn.*

Radix fibroſa, perennis. inuolucrum monophyllum, multifidum, florem vnicum in ortu cingens, poſtea in caule circiter medio perſiſtit; calix nullus; corolla liliacea, petalis oblongo-acuminatis; ſtyli perſiſtentes; ſemina multa, compreſſa, ſtylis villoſis cincta, thalamo adhaerent.

743. HELLEBOROIDES. *Boerh.*

ACONITVM. *Riv.*

Folia Aconito fere ſimilia; ſinis pedunculi in foliolum nouemfidum expanditur, quod calicem repraeſentat; corolla roſacea, decidua; nectaria ſex

ſex vel plura, floſculis monopetalis ſimilia; fructus ex vaginis membranaceis, cornutis, ſuperius dehiſcentibus, conſtat; ſemina ſubrotunda.

Linnaeus ad Helleborum reduxit.

744. ANONA. *Rai. et Linn.* GVANABANVS. *Plum.*

Calix trifolius, paruus, foliolis acuminatis, corolla roſacea, petalis tribus, alternis, interioribus minoribus; ſtyli breuiſſimi; bacca globoſa, cortice ſquamato veſtita; ſemina globoſa.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CLASSIS XIV.

Plantae flore perfecto, polypetalo.

A. OCTANTHERA.

745. MICHELIA. *Linn.*

Calix octophyllus, maior, deciduus; petala octo, oblonga, minora; ouula multa, ſtylo breui, reflexo praedita; fructus eſt racemus baccarum, quarum ſingula quatuor circiter ſemina continet.

B. POLYANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

746. ANAPODOPHYLLVM. *Tourn.* PODOPHYLLVM. *Linn.* POMVM MAIALE. *Rai.*

Radix repens, tuberculata; calix triphyllus, deciduus; corolla roſacea, petalis concauis; oua-

ouarium oblongum; ſtigma ſubrotundum, plicatum; fructus eſt capſula ouata, vnilocularis, ſtigmate perſiſtente coronata; ſemina ſubrotunda.

747. SAVVAGEA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, foliolis oblongo-acutis, perſiſtentibus; petala obtuſa, minora, in quorum medio quinque alia foliola minima; ſtamina intra corollam et calicem poſita; capſula vnilocularis, plurima ſemina continet.

748. SANGVINARIA. *Dill.*

Calix bifolius, caducus; petala octo, quatuor exteriora maiora, quatuor interiora minora; ſtylus breuisſimus, biſulcatus, perſiſtens; fructus eſt capſula vnilocularis, biualuis; ſemina plurima, acuminata.

749. BIXA. *Linn.*

Calix minimus, perſiſtens, quinquedentatus; petala quinque exteriora rudiora, interiora quinque tenuiora, oblonga; ſtigma bifidum; capſula compreſſa, biualuis, vnilocularis; ſemina turbinata, multa.

750. NYMPHAEA. *Linn.*

Radix viuax, magna, in fundo fluminum et ſtagnantium aquarum; folia craſſa, fungoſa, fere orbicularia, aquis innatantia; calix magnus, diviſus, foliolis intus coloratis; corolla roſacea; ouarium oblongum, ſtigmate plano, peltato, radiato, perſiſtente, notatum; fructus globoſus, multilocularis, intus pulpoſus, lenteſcens; ſemina ſubrotunda, exigua, multa.

P *Huc*

Huc referri meretur:

NYMPHAEA. *Boerh. calix pentaphyllus, foliolis ſubrotundis; petala minora, rigida, carinata; fructus ex ſphaerico faſtigiatus.*

LEVCONYMPHAEA. *Boerh. calix tetraphyllus, foliolis oblongis; petala oblonga, exteriora maiora, interiora minora; fructus ſphaericus.*

NELVMBO. *Tourn. fructus turbinatus, truncatus, loculis monoſpermis, propriis foraminibus per diſcum ſtigmatis dehiſcentibus.*

MICRONYMPHAEA. *Boerh. flos minor; calix quinquefolius; corolla pentapetala.*

2) *DISTYLA.*

751. POEONIA. *Tourn.*

Radix tuberoſa; calix pentaphyllus, foliolis inaequalibus; corolla roſacea, petalis maximis, concauis, ſubrotundis; ouaria bina, vel terna mutantur in capſulas lanuginoſas, oblongo-acuminatas, ſtigmate oblongo, perſiſtente, rubro, coronatas; ſemina globoſa.

3) *PENTASTYLA.*

752. AQVILEGIA. *Tourn.*

Radix viuax; folia glauca, multiloba; calix nullus; petala decem, quinque ouata, quinque corniculata, nectarifera, in calcar longum producta; ſtamina vel diſtincta vel filamentis coalita; ouaria quinque, ſtyli reflexi; fructus ex quinque vaginulis corniculatis compoſitus, quae apice dehiſcunt et ſemina ouata, vel plana emittunt.

Flos plenus interdum ex ſolis ouatis petalis conſiſtit, interdum corniculata auget.

4) PO-

4) *POLYSTYLAE.*

753. ADONIS. *Boerh.*

Folia foeniculacea; calix pentaphyllus, deciduus; corolla roſacea, petalis oblongis; ouula multa, acuminata; fructus eſt capitulum ſeminale oblongum; ſemina anguloſa.

HELLEBORASTRVM. *Heiſt. ſiue* HELLEBORVS HIPPOCRATIS. *Tab. huc pertinet.*

754. HEPATICA. *Dill. et Linn.* HEPATICA NOBILIS. *Trag.* TRINITAS. *Hall.*

Radix fibroſa, perennis; folia ſemitrilobata; petioli et pedunculi florum et foliorum ex radice ſeorſim omnes; calix triphyllus, perſiſtens; corolla roſacea, petalis oblongis; ouula multa, acuminata; fructus eſt capitulum ſeminale globoſum; ſemina ouata, thalamo villoſo accreta.

755. FICARIA. *Dill.* CHELIDONIVM MINVS. *Boerh.* MARISCA. *Sieg.*

Radix grumoſa; folia ſubrotunda; caules procumbentes; calix vt plurimum trifolius, caducus; corolla roſacea, petalis oblongis, ſquama ad vnguem poſita; ouula plurima, acuminata; fructus eſt capitulum ſeminale globoſum; ſemina oblonga.

Ad Ranunculum refert Linnaeus.

756. ANEMONE. *Linn.*

Radix nodoſo-fibroſa, perennis; folia terna, caulem amplectentia, in ortu floris calicis inſtar apparent; calix nullus; corolla roſacea, petalis oblongis; ouula multa, acuminata; fructus eſt capitulum ſeminale globoſum; ſemina varia.

ANEMONE. *Tourn. ſemina lanuginoſa.*

ANEMONOIDES. *Dill.* NEMOROSA. *Rupp.* *ſemina glabra obtinet.*

ANEMONE-RANVNCVLVS. *Dill.* *corolla pentapetala gaudet, et ob habitum cum pra[illegible]s, quae Hallerus ad Pulſatillam reduxit, coniungitur.*

757. DRYAS. *Linn.*

Calix monophyllus, octofidus; corolla roſacea, petalis oblongis; fructus eſt capitulum ſeminale globoſum; ſemina compreſſa, ſtylis lanigeris inſtructa.

Ad Caryophyllatam retulit Tournefortius.

758. HELLEBORO-RANVNCVLVS. *Boerh.* TROLLIVS. *Rupp.* RANVNCVLVS GLOBOSVS. *Rai.*

Calix nullus; corolla roſacea, petalis concavis, introrſum conniuentibus, ſitu regularibus, magnitudine diuerſis, deciduis; nectaria plura, floſculis monopetalis ſimilia; ouarium ſiſtit fructum, ex multis vaginulis paruis compoſitum; ſemina ſubrotunda.

Ad Helleborum reduxit Linnaeus.

759. LIRIODENDRVM. *Linn.* TVLIPIFERA. *Boerh.*

Folia anguloſa, abſciſſo quaſi mucrone; calix triphyllus, deciduus; corolla liliaceo-campanulata, petalis ſex vel pluribus, oblongis; antherae lineares; fructus eſt conus erectus, ſquamoſus; ſemina ſub ſquamis condita, alata.

760. MAGNOLIA. *Plum.*

Calix triphyllus, deciduus; corolla roſacea, petalis oblongis, concauis; ſtamina ex baſi ouarii orta; ſtyli recurui, villoſi; fructus ſquamoſus, ouatus, ſub ſquamis continet ſemina reniformia

CLAS-

CLASSIS XV.

Plantae flore perfecto apetalo.

A. MONANTHERA.

DISTYLA.

761. MOROCARPVS. *Rupp.* CHENOPODIO-MORVS. *Boerh.*

Calix trifidus, perſiſtens, plus minus ſucculentus; ſemen vnicum, globoſum, calice contentum; calices maxime ſucculenti et in glomerulos quaſi collecti in nonnullis ſpeciebus baccam ſiſtunt.

B. DIANTHERA.

TRISTYLA.

762. MOLLVGO. *Linn.*

Calix pentaphyllus, foliolis oblongis, intus coloratis, perſiſtentibus; fructus eſt capſula trilocularis, triualuis, ſemina numeroſa, reniformia continens.

C. TETRANTHERAE.

1) MONOSTYLAE.

763. PARIETARIA. *Tourn.*

Flores in glomerulos ad caulem collecti; calix monophyllus, quadrifidus, ſegmentis acutis, perſiſtens; ſtylus fibrilloſus, rubicundus; ſemen vnicum.

Naſcentur flores ſtaminei ouulo abortiuo et alii piſtillati ſine ſtaminibus, an ex defectu nutritionis?

764.

764. ALCHIMILLA. *Tourn.*
ALCHEMILLA. *Linn.*

Flores in ſummis ramulis: calix octofidus, perſiſtens, campaniformis, ſegmentis alternis minoribus: ſtigma bifidum; ſemen oblongum, compreſſum, calice obuolutum.

765. CAMPHORATA. *Tourn.*

Calix infundibuliformis, ſubtus viridis, ſuperius albus, irregulariter in tria vel plura ſegmenta diuiſus, perſiſtens; ſtylus ſimplex, in ſummitate bifidus; ſemen vnicum, ſubrotundum, calice cinctum.

SELAGO *et* POLYCNEMVM. *Linn. huc referri merentur, ſed haec genera definire et cum praecedenti conferre vix audeo.*

766. ISNARDIA. *Linn.* DANTIA. *Petit.*

Calix campanulatus, ouarium arcte cingens, ſemiquadrifidus, laciniis acutis; ſtamina ex medio calice nata; ſtylus ſimplex, ſtaminibus longior; fructus quadrilocularis, pauca ſemina oblonga continens.

767. NEPENTHES. *Linn.* BANDVRA. *Burm.*

Calix profunde quadrifidus, perſiſtens, ſegmentis ſubrotundis; quatuor antherae bis crenatae circa ſtyli ſummitatem ferme in annulum concreſcunt; capſula quadrilocularis, quadriualuis; ſemina multa, tenuia, paleacea.

768. ELAEAGNVS. *Tourn.*

Calix coriaceus, ouarium cingens, ſuperius vt plurimum quadrifidus, ſegmentis acutis, intus coloratis; ſtamina intra inciſuras calicis; ſtylus breuis;

breuis; fructus ſit capſula coriacea, vnicum nucleum oblongum continens.

769. RIVINIA. *Linn.* RIVINA. *Plum.* SOLANOIDES. *Tourn.*

Flores et fructus in racemis; calix quadrifidus, coloratus, perſiſtens; fructus ſit bacca globoſa, vnica, ſubrotundo ſemine foeta.

Ad Phytolaccam refert Boerhaavius.

2) *DISTYLA.*

770. APHANES. *Linn.* PERCEPIER. *Rai. et Boerh.*

Flores ex alis foliorum plures, parui; calix ventricoſus, octofidus, perſiſtens, ſegmentis alternis minimis; ſemina bina, compreſſa, acuminata, calice comprehenſa.

Ad Alchimillam retulit Tournefortius.

D. PENTANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

771. THESIVM. *Linn.* LINOSYRIS. *Rupp.* LINOPHYLLVM. *Pont.*

Calix ouulum arcte cingens, ſemiquinquifidus, perſiſtens, intus coloratus; calicis baſis contracta ſemen continet ſubrotundum.

772. ACHYRANTHES. *Linn.* ACHYRACANTHA. *Dill.*

Calix profunde quinquifidus, perſiſtens, laciniis acutis; ſtigma bifidum; ſemen vnicum, compreſſum, calice comprehenſum.

773. KALI. *Tourn.* SALSOLA. *Linn.*

Habitus ſucculentus; calix profunde quinquifidus,

fidus, ſegmentis obtuſis, quodammodo coloratis, perſiſtens; ſtylus ſimplex, ſemibifidus; fructus globoſus, vnicum ſemen cochleatum continens.

774. CONOCARPVS. *Linn.*
RVDBECKIA. *Houſt.*

Planta arborea: fructificationes in ſummis ramulis in capitulum collectae; calix monophyllus, quinquifidus, laciniis acutis, perſiſtens; ſemen vnicum, marginatum.

2) *DISTYLAE.*

775. ATRIPLEX. *Tourn.*

Calix quinquifidus, perſiſtens, vt plurimum a latere compreſſus, quaſi bifolius; flores multi perfecti, ſuperiores non raro ſtaminei, inferiores ſemper piſtillati tantum; ſtylus profunde diviſus; ſemen orbiculatum, compreſſum.

776. CHENOPODIVM. *Tourn.*

Calix quinquifidus, raro quadrifidus, laciniis concauis, aequalibus; flores omnes perfecti; ſtylus profunde diuiſus; ſemen orbiculare, intra calicem contentum.

777. BETA. *Tourn.*

Radix annua vel biennis, in nonnullis valde craſſa et carnoſa; calix pentaphyllus, perſiſtens, laciniis oblongis, obtuſis; fructus eſt capſula vnilocularis, calice comprehenſa, ſemen reniforme continens.

778. PERSICARIA. *Tourn.*

Radix fibroſa; flores in ſummis caulibus et ramulis ſpicati, vaginae membranaceae ad nodos

caulium et ramorum; calix quinquifidus, raro quadrifidus, coloratus, ſegmentis oblongis, perſiſtens; ſtamina quinque vel plura; ſtyli bini, vel vnus, profunde bifidus; ſemen compreſſum, ouato-acuminatum, calice obuolutum.

779. HERNIARIA. *Tourn.*

Radix fibroſa; caules ramoſi, repentes; floſculi in alis foliorum conferti; calix quinquifidus, raro quadrifidus; ſegmentis acutis, perſiſtens; ſtylus duplex, vel breuisſimus, ſtigmata bina; ſemen intra calicem contentum, vnicum.

PARONYCHIA. Tourn. bracteis ſiccis, argenteis, floſculos ſuccingentibus, et ſegmentis calicis obtuſis a praecedente planta, ad quam Linnaeus refert, differre videtur.

780. VLMVS. *Tourn.*

Planta arborea; folia oblonga, ſerrata; ex gemma florali floſculi multi, vel breuioribus, vel longioribus petiolis inſidentes, erumpunt; calix turbinatus, quinquifidus, coloratus, perſiſtens; ſtamina vt plurimum quinque, calice longiora; ſtyli duo; fructus compreſſus, ouali, in ſummitate inciſus, in media cauitate ſemen vnicum, ſubrotundum, compreſſum continet.

781. BOSEA. *Linn.* YERVAMORA. *H. Boſ.*

Frutex vel arbor, foliis oblongis, cuſpidatis; flores racemoſi in ſummis ramulis et ex alis foliorum; calix profunde quinquifidus, ſegmentis erectis, acutis; fructus incertus; ſemen vnicum, nudum, vel tenui carne tectum.

782. CELTIS. *Tourn.* LOTVS ARBOR. *Rai.*

Flores in alis foliorum ſinguli; calix mono-

phyllus, quinquifidus, laciniis ouatis, patulis; ſtamina breuia; ouarium bicorne mutatur in baccam oſſiculo ſubrotundo, quaſi quadriparti-to foetam.

Flores inferiores ſtaminei tantum inueniuntur.

3) TRISTYLA.

783. PHARNACEVM. *Linn.*

Calix pentaphyllus, perſiſtens, laciniis marginatis, et intus coloratis; ſtyli tres, vel vnicus, breuiſſimus, ſtigmata tria; capſula oblonga, trilocularis; ſemina exigua.

E. HEXANTHERAE.

1) MONOSTYLA.

784. ACORVS. *Tourn.* CALAMVS AROMATICVS. *Mich.*

Claua ex ſinu folii oriunda, digitiformis, floribus ſeſſilibus vndique tecta; calix hexaphyllus, foliolis obtuſis, ſuperius craſſioribus, perſiſtentibus; ſtylus breuisſimus; capſula triangula, trilocularis, ſeminibus tribus foeta.

2) TRISTYLAE.

785. SAVRVRVS. *Linn.*

Flores et fructus in ſpicam collecti; calix monophyllus, perſiſtens, ſquamae inſtar ſuſcipiens ſtamina longa; ſtylus vix vllus, ſtigmata tria, perſiſtentia; ſemen vnicum, ouatum, calice tectum.

786. RVMEX. *Linn.* LAPATHVM. *Hall.*

Calix duplex, exterior triphyllus, perſiſtens, interior triphyllus, perſiſtens, foliolis anguſtis,

quorum-

quorumdam corolla; ouulum triquetrum, quod in ſimile ſemen abit.

LAPATHVM. *Tourn. ſapore auſtero*
ACETOSA. *Tourn. ſapore acido diſtinguitur.*
LAPATHVM. *Pont. floribus perfectis*
ACETOSA. *Pont. floribus relatiuis gaudet.*

787. IVNCVS. *Tourn.*

Caules vel graminei, foliis ornati, vel teretes, medulla fungoſa pleni, foliis eiusdem indolis; calix hexaphyllus, perſiſtens, foliolis acutis; ſtylus breuis, in tres tubas longas diuiſus; fructus tripartitus, varius.

IVNCVS. *Scheuchz. folia teretia, fungoſa.*
IVNCOIDES. *Scheuchz.* CYPARELLA. *Rupp. folia plana, graminea.*
IVNCVS. *Mich. capſula triualuis, polyſperma.*
IVNCOIDES. *Mich. fructus tricoccos.*

SCHEVCHZERIA. Linn. tribus vel ſex capſulis diſtinctis, biualuibus a Iunco differt, et ob differentiam fructus, in hoc genere vix definiendam, huc referri poſſet.

3) *TETRASTYLA:*

788. PETIVERIA. *Plum. et Linn.*

Calix tetraphyllus, perſiſtens, foliolis oblongis, anguſtis; fructus eſt ſemen vnicum, inferius teretiuſculum, ſuperius compreſſum, emarginatum, latiuſculum.

F. OCTANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

789. LACHNAEA. *Roy.*

Calix monophyllus, perſiſtens, tubuloſus, tubo tenui, limbo quadrifido, irregulari; ſtigma capita-

capitatum, hiſpidum; ſemen vnicum, oblongo-acutum.

790. PASSERINA. *Rupp. et Linn.* SANAMVNDA. *Magn.*

Calix ventricoſus, ſemiquadrifidus, intus coloratus, perſiſtens, ouulum arcte cingens; ſtigma capitatum, villoſum; ſemen oblongum, vtrinque acuminatum, calice coriaceo comprehenſum.

Ad Thymelaeas refert Tourneſortius.

2) DISTYLAE.

791. CHRYSOSPLENIVM. *Tourn.* SAXIFRAGA AVREA. *Rai.*

Radix perennis, fibroſa; folia ſemiorbicularia; calix patens, quadripartitus, raro quinquepartitus, coloratus, per maturitatem virideſcens, perſiſtens, fructum cingens; ſtamina octo vel decem; fructus eſt capſula membranacea, vnilocularis, bicornis, biualuis; ſemina minutiſſima.

792. GALENIA. *Linn.* SHERARDIA. *Pont.*

Calix monophyllus, quadrifidus, minimus, perſiſtens; fructus eſt capſula ſubrotunda, bilocularis, ſemina bina, anguloſa continens.

3) TRISTYLAE.

793. POLYGONVM. *Tourn.*

Radix repens, fibroſa; caules et rami creberrime geniculati, procumbentes; flores ex alis foliorum, vaginae membranaceae ad nodos caulium et ramorum; calix profunde quinquifidus, per-

perſiſtens, ſegmentis oblongis, viridibus, interius et in margine coloratis; ſemen triquetrum, calice obuolutum.

794. FAGOPYRVM. *Tourn.*
HELXINE. *Linn.*

Radix fibroſa, annua; calix quinquifidus, coloratus, perſiſtens, ſegmenta bina exteriora minora, interiora maiora; ſemen triquetrum, farinoſum, calice concluſum.

795. BISTORTA. *Tourn.*

Radix tuberoſa, contorta; flores in denſas ſpicas congeſti; calix monophyllus, coloratus, profunde quinquifidus, ſegmentis oblongis, perſiſtentibus: ſemen triquetrum, calice conniuente inuolutum.

796. DODONAEA. *Linn.*

Calix tripartitus, laciniis erectis; ouarium triquetrum mutatur in capſulam ſubrotundam, triloculare, inflatam; ſemina ſolitaria, in ſingulo loculo contenta.

4) *TETRASTYLAE.*

797. PENTAPTEROPHYLLVM.
Dill. MYRIOPHYLLVM. *Pont. Vaill. et Linn.* PENTAPTERIS. *Hall.*

Planta aquatica; folia verticillata; flores in verticillis; ouarium ſub flore, calice quadrifido ornatum; fructus quadrilocularis, quatuor ſemina ſolitaria continet.

Hallerus quatuor petala calici quadrifido minimo addit et floribus perfectis, et ſtamineos, et piſtillatos ſubnectit.

Linn.

Linnaeus plantam relatiuam monophytam facit. Ad Potamogeton accedit.

G. DECANTHERAE.

1) *DISTYLA.*

798. SCLERANTHVS. *Linn.*

KNAWEL. *Rai. et Boerh.*

Flores in ſummis ramis et diuaricationibus ramorum; calix quinquifidus, perſiſtens, ſegmentis acutis, margine coloratis; ſemina bina, hinc conuexa, inde plana, cum calice quaſi connata. *Ad Alchimillam retulit Tournefortius.*

2) *TRISTYLA.*

799. TRIOPTERIS. *Linn.*

Calix minimus, quinquedentatus; ouarium tripartitum, ſingula parte binis alis erectis, patentibus, petala quodammodo repraeſentantibus, ornata; ſemina tria, baſi aucta et binis alis conſpicua.

3) *PENTASTYLA.*

800. PENTHORVM. *Linn.*

Calix monophyllus, minimus, perſiſtens; filamenta periſtentia; fructus eſt capſula ſimplex, quinquifida, angulis conicis, diſtantibus, quinquelocularis; ſemina multa.

H. DODECANTHERA.

MONOSTYLA.

801. ASARVM. *Tourn.*

Radix perennis, fibroſa; folia orbiculata, cum deliquio a parte petioli; calix coriaceus, campanu-

panulatus, ouarium cingens, limbo trifido, ſegmentis acutis; ſtamina antheris a latere adnata, alterna breuiora; ſtigma ſexfidum, ſtellatum; fructus ſexlocularis, duplici ſeminum ouatorum ordine in ſingulo loculo.

I. POLYANTHERAE.

1) MONOSTYLAE.

802. SLOANEA. *Linn.* SLOANA. *Plum.*

Calix monophyllus, multifidus, perſiſtens, ſegmentis acutis; antherae lateri filamentorum adnatae; fructus eſt capſula vnilocularis, echinata quadriualuis, ſeminibus carnoſis, oblongis foeta.

803. TREWIA. *Linn.*

Calix triphyllus, perſiſtens, foliolis ouato-acutis, coloratis; ouarium mutatur in capſulam turbinatam, trilocularem, triualuem; ſemina ſolitaria.

804. HYPOCISTIS. *Tourn.*

Calix ventricoſus, ouarium arcte cingens, limbo quadrifido vel quinquifido; ſtigma ſubrotundum, multifidum; fructus mollis, multilocularis; ſemina plurima, exigua.

Ad Aſarum retulit Linnaeus.

2) DISTYLA.

805. CALLIGONVM. *Linn.*

POLYGONOIDES. *Tourn.*

Calix pentaphyllus, foliolis oblongis, concauis, perſiſtentibus; ſtylus vix vllus, ſtigmata duo; fructus eſt ſemen oblongum, compreſſum, cruſta alata et hiſpida cinctum.

3) TE-

3) *TETRASTYLAE.*

806. TETRAGONIA. *Linn.*

TETRAGONOCARPOS. *Boerh.*

Flores in ſpica diſpoſiti; calix quadrifidus, raro quinquifidus, ouarium cingens, coloratus, perſiſtens; ſtamina viginti; fructus quadrangulus, alis quatuor inſignitus, quadrilocularis; ſemina oblonga. Flores ſuperiores in ſpica, ſaepe ſola ſtamina et ouaria nulla vel abortiua obtinent; an a defectu ſucci nutritii?

807. TETRACERA. *Linn.*

Calix hexaphyllus, perſiſtens, foliolis tribus externis breuioribus, internis longioribus; ouaria quatuor, ſtyli breuiſſimi; fructus ſiſtit capſulas quatuor, vniualues, vnico ſemine ſubrotundo foetas.

4) *PENTASTYLAE.*

808. AIZOON. *Linn.* FICOIDEA. *Niſſ.*

Calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; ſtamina inciſuris calicis per phalangas inſerta; fructus fit capſula ventricoſa, quinquangularis, quinquelocularis; ſemina minima, reniformia.

809. ANTHYLLOIDES. *Plukn.*

Calix pentaphyllus, perſiſtens, foliolis oblongis, concauis, duobus cum ſemiſſe viridibus, tomentoſis, intus albis, tegentibus, duobus cum ſemiſſe albis, petaloideis; ſtamina nouem ad duodecim, filamentis tenuibus, antheris minimis; ouarium oblongum, ſtyli quinque, breues; fructus quinquelocularis; ſemina exigua.

Cum Anthyllide nihil praeter habitum commune habet, hinc nouum nomen meretur.

810.

810. ARVM. *Linn.*

Spatha colorata, perſiſtens, conuoluta, ventricoſa, aurita, *corolla irregularis monopetala quibusdam;* ſpadix in clauam deſinens carnoſam, cui inferius adhaerent antherae plurimae, quadragonae, baſi lata, et filamenta varia antheras non ſuſtinentia, ſub his ouaria plurima vndique apponuntur, ſtigmate villoſo ornata, quae mutantur in baccas, quibusdam ſeminibus ſubrotundis foetas.

ARVM. *Tourn. folia ſagittata, integra,*

COLOCASIA. *Tourn. folia peltata,*

DRACVNCVLVS. *Tourn. folia multifida, quaſi palmata obtinent.*

ARISARVM. Tourn. ſpatha tubuloſo-ventricoſa, ſuperius cucullata vel galeata, colorata; ſpadix incuruus; antherae filamentis inſiſtentes. Linnaeus vt praecedentes ad Arum retulit.

811. CALLA. *Linn.* ARISARVM. *Riv.* PROVENZALIA. *Petit.* ANGVINA. *Trew.*

Spatha monophylla, colorata, perſiſtens, patens, oblongo-cordata, acuminata; ſpadix carnoſus, acuminatus, cui accreſcunt filamenta plurima, quae antheras ſuſtinent, his interponuntur ouaria, ſtylo breui ornata, quae mutantur in baccas globoſo-compreſſas, ſeminibus oblongis foetas.

Appendix ad plantas apetalas ſiſtens

Gramineas et graminibus affines plantas.

Gramen radice vt plurimum fibroſa, non raro reptatrice fulcitur, caulem emittit foliis vaginantibus

tibus cinctum. folia ipſa longa et anguſta acutaque ſunt, in ſummitate caulium et ramorum, vel in ſpica, vel in panicula haerent floſculi vel ſimplices vel collecti.

Locuſta vel floſculum vnum, vel duos, tres pluresque floſculos connexos et a reliquis ſimilibus ſeparatos, ſiſtit.

Calix vt plurimum biglumis, gluma vna maiore, gibba, altera minore et plana.

Folliculus, qui Linnaeo corolla dicitur, vt plurimum biualuis.

Stamina vt plurimum tria.

Styli duo, interdum tres.

Semen in omnibus vnicum, vel folliculo cinctum, vel ex eo ſecedens.

Differentiae locuſtarum, calicis vel folliculi in glumis et valuulis, nec non differentia quae interdum in ſtaminum et ſtylorum numero deprehenditur, genera efficit, quae ex mente Linnaei, quum nomina appoſuerit, declaramus, et nonnulla genera graminibus affinia, nec alibi commodius exponenda, ſubnectimus.

Plantae Gramineae.

A. DIANTHERA.

812. ANTHOXANTHVM. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis ouato-acuminatis, inferiore maiore; folliculus biualuis, valuulis ariſtatis; nectarium diphyllum; antherae duae; ſtyli bini; ſemen folliculo comprehenſum, vtrinque acuminatum.

B. TRI-

B. TRIANTHERAE.

1) DISTYLAE.

813. CORNVCOPIAE. *Linn.* CORNVCOPIOIDES. *Scheuchz.*

Calix communis monophyllus, campanulatus, ore dentato, locuſtas aliquot vnifloras continens; calix proprius biglumis, glumis muticis; folliculus vniualuis; ſemen vnicum, turbinatum, hinc conuexum, inde planum.

814. NARDVS. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix nullus; folliculus biualuis, valua exteriore maiore, ariſtata, interiore minore, breuius ariſtata; ſemen tenue, longum, folliculo inuolutum.

815. SACCHARVM. *Linn.*

Locuſta vniflora; loco calicis lanugo florem inuoluens; folliculus biualuis, valuulis oblongo-acuminatis, muticis; ſemen oblongum, anguſto folliculo incluſum.

816. PHALARIS. *Rai. et Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis compreſſis, carinatis, maximis; folliculus biualvis, valuula exteriore maiore, acuminata, interiore minore; ſemen e rotundo vtrinque acuminatum, folliculo inuolutum.

817. PHLEVM. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis ariſtatis, compreſſis; folliculus biualuis, valuula exteriore maiore, interiore minore; ſemen ſubrotundum, folliculo tectum.

Gramma Typhoidea Scheuchzeri huc refer.

818. ALOPECVRVS. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis compreſſis, concauis; folliculus vniualuis, valuula concaua, cui ad baſin ariſta longa inſeritur; ſemen ſubrotundum, folliculo incluſum.

Gramina Myoſuroidea Scheuchzeri.

819. PANICVM. *Linn.*

Locuſta vniflora, inuolucro polyphyllo interdum cincta: calix triglumis, glumis binis maioribus, acuminatis, tertia poſt alteram poſita, minore; folliculus biualuis, valua vna maiore, altera minore, interdum ariſtata; ſemen ſubrotundum, folliculo inuolutum.

820. MILIVM. *Tourn. et Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis ouato-acuminatis; folliculus biualuis, valuula altera minore; ſemen ſubrotundum, folliculo inuolutum.

821. AGROSTIS. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis acuminatis; folliculus biualuis, valuula maiori ariſtata; ſemen ſubrotundum, vtrinque acuminatum, folliculo incluſum.

822. LAGVRVS. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis patulis, ariſtatis, ariſta villoſa; folliculus biualuis, valuula maiori duplici ariſta praedita, tertia ad dorſum accedente, valuula altera minore acuminata; ſemen oblongum, folliculo incluſum, ariſtatum.

Gramina Alopecuroidea Scheuchzeri.

823. MELICA. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis ouatis, aequalibus; corpuſculum pedunculatum, duos floſculos truncatos ſiſtens; folliculus biualvis, valuulae muticae, vna plana, altera concava; ſemen ouatum, ex folliculo ſecedens.

824. DACTYLIS. *Roy. et Linn.*

Locuſta vni-aut biflora; calix biglumis, gluma exteriore ventricoſa; folliculus biualuis, valuula exteriore concaua, interiore plana; ſemen ſubrotundum, ex vna parte conuexum, ex altera planum, ex folliculo ſecedens.

825. AIRA. *Linn.*

Locuſta biflora; calix biglumis, glumis ouato-acutis; folliculus biualuis, valuis ouato-acutis, altera non raro ariſtam emittente; ſtamina et ſtyli interdum in diſtinctis folliculis; ſemen oblongum, folliculo incluſum.

826. SECALE. *Linn.*

Locuſta biflora; calix folliculo minor, biglumis, glumis anguſtis, acuminatis; folliculus biualuis, valuula exteriore ventricoſa, ariſtata, interiore plana; ſemen oblongum, ferme cylindraceum, obtuſum, e folliculo ſecedens.

827. TRITICVM. *Tourn.*

Locuſta ſuperius triflora; calix biglumis, glumis obtuſis; folliculus biualuis; valuula exteriore ventricoſa, interdum ariſtata, interdum obtuſa cum acumine, interiore plana; ſemen oblongum, ſuperius obtuſum, hinc gibbum, inde longitudinaliter ſulcatum.

828. HORDEVM. *Tourn. et Linn.*

Locuſta triflora; calix biglumis, glumis anguſtis; folliculus biualuis, valuula exteriore ventricoſa, in ariſtam longam deſinente, interiore plana: ſemen ventricoſum, longitudinaliter ſulcatum, vtrinque acuminatum, folliculo inuolutum.

829. ARVNDO. *Linn.*

Locuſta vni-vel multiflora; calix biglumis, glumis acuminatis, muticis, altera breuiore; folliculus biualuis, valuulis acuminatis, intus lanuginoſis; ſemina vtrinque acuminata, lanuginoſo folliculo incluſa.

830. AVENA. *Tourn. et Linn.*

Locuſta multiflora, laxa; calix biglumis, glumis ventricoſis, muticis; folliculus biualuis, valuula maiore, ventricoſa, ariſtata, geniculo reflexo, inſigni ornata; foliola bina a latere ſuperiori ouuli; ſemen oblongum, vtrinque acuminatum, longitudinaliter ſulcatum, folliculo inuolutum.

831. POA. *Linn.*

Locuſta multiflora, diſticha: calix biglumis, glumis acuminatis; folliculus biualuis, valuulis muticis; ſemen compreſſum, vtrinque acuminatum, folliculo inuolutum.

832. VNIOLA. *Linn.*

Locuſta multiflora; calix ſexglumis, glumis diſtiche imbricatis; folliculus biualuis, valua interiore parum conniuente; ſemen oblongum, folliculo incluſum.

833. CYNOSVRVS. *Linn.*

Inuolucrum partiale triphyllum, foliolo pennato, perſiſtente; locuſta multiflora; calix biglumis, glumis anguſtis, acuminatis; folliculus biualuis, exteriore concaua, ariſtata, interiore plana, mutica; ſemen oblongum, vtrinque acuminatum, folliculo incluſum.

Gramina criſtata Scheuchzeri.

834. BROMVS. *Linn.* FESTVCA. *Scheuchz.* AEGILOPS. *Dill.*

Locuſta multiflora, ouata; calix biglumis, glumis acuminatis, muticis, inferiore minore; folliculus biualuis, valuula inferiore concaua, apice bifido, ariſtam infra apicem demittente, ſuperiori minori, mutica; ſemen hinc conuexum, inde ſulcatum, folliculo incluſum.

835. FESTVCA. *Dill.* BROMOIDES. *Scheuchz.*

Locuſta multiflora, tenuis; calix biglumis, glumis acuminatis, muticis, inferiore minore; folliculus biualuis, valuula inferiore maiore, ariſtata; ſemen longitudinaliter ſulcatum, tenue, folliculo incluſum.

836. LOLIVM. *Linn.*

Locuſta multiflora, diſtiche ſpicata; calix vniglumis, gluma locuſtam ad caulem apprimens exterior; folliculus biualuis, valuula inferiori conuoluta, acuminata, ſuperiori anguſta; ſemen oblongum, hinc gibbum, inde ſulcato-planum, e folliculo ſecedens.

837. BRIZA. *Linn.*

Locuſta multiflora, cordata, diſticha; calix

biglumis, glumis cordatis; folliculus biualuis, valuula vna concaua, altera plana; ſemen ſubrotundum, compreſſum, ex folliculo ſecedens.

Gramina tremula Scheuchzeri.

2) *TRISTYLA.*

838. ERIOCAVLON. *Linn.*

Locuſta ſquamoſa, imbricata; calix vniglumis; folliculus trifidus, pedicello piloſo inſiſtens, ſegmentis villoſis; ſemen exiguum, folliculo adhaerens et cum eo volitans.

C. HEXANTHERA.

DISTYLA.

839. ORYZA. *Tourn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumis minimis, acuminatis; foliola bina truncata, ad germen poſita; folliculus biualuis, valuula maiore ariſtata; ſemen obtuſum, compreſſum, ſtriatum, folliculo inuolutum.

Plantae Graminibus affines.

TRIANTHERAE.

1) *MONOSTYLAE.*

840. CYPERVS. *Linn.*

Calix vniuerſalis, vel triphyllus, vel nullus; locuſtae multiflorae, in ſpicas diſpoſitae, ſquamis ouatis; ſtylus filiformis, ſtigmata tria; ſemen vnicum, triquetrum.

CYPERVS. *Mich. caules triquetri; locuſtae diſtichae, in capitula laxa vel denſa diſpoſitae.*

ME-

MELANOSCHOENVS. *Mich. caules rotundi; locuſtae craſſiores, minus ſpecioſae.*

841. SCIRPVS. *Linn.*

Calix vniuerſalis vel nullus, vel aliquot foliorum; locuſtae multiflorae, ſquamis oblongis imbricatae; ſtigma trifidum; ſemen triquetrum, vel in apice, vel in baſi, ariſtis minimis circumvallatum.

SCIRPVS. *Mich. caules rotundiores.*

SCIRPO-CYPERVS. *Mich. caules triquetri.*

SCIRPOIDES. *Scheuchz. et Mich. capitula magis ſphaerica, denſa et ſemina nuda, ariſtis nullis obuallata.*

842. SCHOENVS. *Linn.*

Calix communis, biualuis; locuſtae multiflorae; calix proprius imbricatus, foliolis ſex, inaequalibus; ſtigma trifidum; ſemen obſolete trigonum, nitidum.

CYPERELLA. *Mich.* SCHOENVS. *Hall. locuſtae in capitula oblonga, capitula in vmbellas diſpoſita; filamenta ariſtiformia circa ouulum poſita.*

PSEVDO-CYPERVS. *Mich.* MARISCVS. *Hall. locuſtae in capitula rotunda, capitula in vmbellam paniculatam diſpoſita; ouula filamentis ariſtatis non cincta; ſemen oſſeum, nucleo ſubrotundo foetum.*

843. IXIA. *Linn:*

Calix ſquamoſus, plures floſculos comprehendens, ſquamis tenerioribus, floſculos diſtinguentibus; corolla hexapetala, petalis oblongo-acutis; ſtigma trifidum; fructus fit capſula trilocularis, triualuis, ſemina ſolitaria, ſubrotunda continens.

844. LINAGROSTIS. *Tourn.* ERIOPHORVM. *Linn.*

Locuſta vniflora, vna vel plures, ſquamis oblongis imbricata; ſtigmata tria; ſemen vnicum, triquetrum, pappis ſericeis, longiſſimis ad baſin cinctum.

845. CENCHRVS. *Linn.* PANICASTRELLA. *Mich.*

Calix exterior communis, laciniatus, echinatus, tres vt plurimum locuſtas continens, cum ſimilibus in ſpica diſpoſitus; locuſta biflora; calix proprius biglumis, glumis concauis, acuminatis; folliculus biualuis, valuulis acuminatis, muticis, interiore minore; ſtigma diuiſum; ſemen ſubrotundum; alter vero flos non eſt perfectus, ſed ſtamineus tantum.

2) *DISTYLAE.*

846. HOLCVS. *Linn.*

Locuſta vniflora; calix biglumis, glumae rigidae, muticae; folliculus biualuis, valuula exteriore ariſtata, interiore mutica: ſtyli capillares; ſemen ouatum, folliculo inuolutum; a latere huius, flores vtrinque bini ſtaminei occurrunt.

847. AEGILOPS. *Linn.*

Locuſta triflora; calix biglumis, glumis ouatis, ſtriatis, ariſtis nonnullis inſignitis; folliculus biualuis, valuula exteriore ouata, aliquot ariſtis praedita, interiori mutica; ſtyli capillares; ſemen oblongum, valuula folliculi interiori inuolutum: inter duos flores perfectos vnus ſtamineus haeret.

CLAS-

CLASSIS XVI.

Plantae flore relatiuo, monophyto.

A. MONOPETALAE.

848. NAIAS. *Linn.* FLVVIALIS. *Vaill. et Mich.*

Planta aquatica, ex alis foliorum flores ſtamineos et piſtillatos ſeparatim exhibet.

Stamineus. Calix monophyllus, ventricoſus, ſegmentis binis oppoſitis; corolla quadrifida, laciniis reflexis; anthera vnica, craſſa.

Piſtillatus. Calix nullus; corolla nulla; ouarium oblongum, vnico vel quibusdam ſtylis inſignitum, fructum ſiſtens vel vnilocularem, vel quorundam loculorum; ſemina oblonga.

849. TRAGIA. *Plum. et Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Squama calicina corollam infundibuliformem ſuſtinens, limbo trifido; ſtamina tria.

Piſtillatus. Calix quinquifidus, ſegmentis concauis, acutis, perſiſtens; ſtylus vnicus, ſtigmata tria; fructus tricoccos, ſpinoſus; ſemina globoſa.

850. FEVILLEA. *Linn.* NHANDIROBA. *Plum.*

Planta ſcandens; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix campanulatus, quinquifidus; corolla rotata, limbo ſemiquinquifido, laciniis rotundis, ſtellula in medio flore; ſtamina tria.

Piſtillatus. Ouarium calice quinquifido comprehenſum; corolla rotata; ſtylus incertus; fructus eſt bacca maxima, cortice duro tecta; ſemina orbicularia, compreſſa.

851. TRICHOSANTHES. *Linn.* ANGVINA. *Mich.*

Habitus ſcandens; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus; corolla quinquifida, calici connata, crinibus ſubtiliſſimis in ambitu ciliata; filamenta tria ſuſtinent corpus cylindraceum, cui anthera linearis, repens annexa eſt.

Piſtillatus. Ouarium ſub flore; calix et corolla vt in ſtamineo; ſtylus ſimplex, ſtigmata tria; fructus eſt longiſſimus, pulpoſus, trilocularis, ſemina compreſſa, membrana inuoluta continens.

852. MOMORDICA. *Tourn.* BALSAMINA MAS. *Rai.*

Planta capreolis ſcandens; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus; corolla calici adnata, quinquifida, ſegmentis

mentis amplioribus; ſtamina quinque, tribus filamentis adnata.

Piſtillatus. Calix vt in ſtamineo, ouario inſidens, per maturitatem deciduus; corolla ſtamineae ſimilis; filamenta tria ſine antheris. ſtylus ſimplex, triplici tuba inſtructus; fructus verrucoſus, tuberculis exaſperatus, parum carnoſus, per maturitatem dehiſcit; ſemina plana, margine denticulato inſtructa, membrana inuoluta.

LVFFA. *Tourn. fructu intus reticulato, ſicco a Momordica differt, et a Linnaeo huc refertur.*

853. ELATERIVM. *Boerh.* CVCVMIS ASININVS. *Rai.*

Planta capreolis deſtituta; flores ſtaminei et piſtillati in eſſentialibus cum praecedente conueniunt; fructus oblongus, hiſpidus, per maturitatem diſiliens; ſemina oblonga, compreſſa.

Ad Momordicam retulit Linnaeus.

854. CVCVMIS. *Tourn.*

Planta capreolis donata; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus; corolla calici adnata, quinquifida; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix et corolla ſtamineis ſimiles; filamenta tria ſine antheris; ouarium ſub calice poſitum, ſtylum ſimplicem, tribus tubis donatum, emittit; fructus teres, tuberculatus, leuiter ſpinoſus, loculi tres vel quatuor ſeminibus oblongis replentur.

MELO. Tourn. habitu et flore cum Cucumere conuenit; fructus ouatus, vel glaber, vel rugoſus,

in

in tria loculamenta, bifariam ſecta diuiſus; ſemina oblonga; caro dulcis.

COLOCYNTHIS. Tourn. pulpa fructus fungoſa, amariſſima et foliis in profundas lacinias diſſectis, a praecedenti differt.

ANGVRIA. Tourn. CITRVLLVS. *Rai. fructu maximo, carne aquoſa et dulci, et foliis in profundas lacinias diuiſis, a praecedenti differt.*

Tria haec genera Linnaeus cum Cucumere coniunxit.

855. CVCVRBITA. *Tourn.*

Planta capreolis ſcandens; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus; corolla calici adnata, quinquifida, nectarium fungoſum in centro floris; anthera vnica ſiue linea farinacea repens, filamentis tribus, ſuperius coalitis, annexa.

Piſtillatus. Calix, corolla et nectarium vt in ſtamineo; ouarium ſub flore, ſtylus ſimplex, apice trifido et ſtigmate ſimplici ſurſum deorſum repente inſtructum; fructus variae figurae, ſub cortice duro, fere lignoſo, pulpam in ſex loculamenta diuiſam continet; ſemina plana, oblonga, quaſi introrſum emarginata.

LAGENARIA. *Sieg. huc referatur.*

PEPO. Tourn. fructu trifariam diuiſo, ſeminibus planis, annulo quaſi cinctis, a praecedente differt.

MELOPEPO. Tourn. fructu anguloſo, in quinque partes ſecto, et ſeminibus compreſſis; a praecedente differt.

Haec bina genera ad Cucurbitam reduxit Linnaeus.

856.

856. BRYONIA. *Tourn.*

Radix craſſa, fungoſa; planta capreolis ſcandens; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquedentatus; corolla calici adnata, quinquifida; antherae quinque tribus filamentis adhaerent.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ouarium ſub flore, teres, ſtylus trifidus; fructus eſt bacca rotunda; ſemina ouata.

857. SICYOS. *Linn.* SICYOIDES. *Tourn.* BRYONIOIDES. *Dill.*

Planta capreolis ſcandens; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquedentatus; corolla calici adnata, quinquifida; ſtamen antheram vnicam, vel ex quinque coalitam, tribus filamentis, ſuperius concretis, annectit.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ouarium ſub flore, ouatum, ſtylus ſimplex, ſtigma trifidum; fructus oblongus, parum carnoſus, cute tenui, echinata tectus.

858. AMBROSIA. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Compoſitus, calice communi, monophyllo, octofido; floſculi tubuloſi, quinque ſtaminibus inſtructi, thalamo nudo affixi.

Piſtillatus. Ouarium echinatum, clauae ſimile

le, ſtylo duplici ornatum: cruſta vnilocularis, ſemine vnico, oblongo foeta.

859. XANTHIVM. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Floſculi, ſquamis diſtincti, in capitulum colliguntur, tubuloſi, quinquedentati; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Ouarium ouato-oblongum, aculeatum, tuba bifida inſtructum, ſit cruſta bilocularis, ſemina oblonga continens.

B. TRIPETALAE.

860. EMPETRVM. *Tourn.*

Folia et habitus Ericae; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix tripartitus, perſiſtens; petala marceſcentia; ſtamina tria.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ouarium minimum, nouem ſtigmatibus ornatum; fructus ſit bacca, nouem ſeminibus anguloſis repleta.

Flores perfecti, ſtructura ſimiles, prioribus immiſcentur.

861. SAGITTARIA. *Linn.* SAGITTA AQVATICA. *C. B.*

Radix fibroſa, craſſa, fungoſa, repens; folia inferiora oblongo-cuſpidata, ſuperiora ſagittae cuſpidem alatam referentia; caulis ſucculentus, quodammodo trigonus; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Sta-

Stamineus. Superior, calix triphyllus; petala ſubrotunda; ſtamina multa.

Piſtillatus. Inferior, calix et corolla ſimilis; ouula multa in capitulum, frago ſimile, congeſtá; ſtyli breuisſimi; ſemina multa, oblonga, compreſſá.

C. PENTAPETALAE.

862. ANDRACHNE. *Linn.* TELEPHIOIDES. *Tourn.*

Planta repens; folia glauça; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix pentaphyllus; corolla roſacea, petalis calice minoribus, foliolis bifidis cuilibet petalo annexis; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix pentaphyllus; corolla ex petalis minimis, bifidis tantum conſtans; ſtyli tres, ſemibifidi, ſtigmata globoſa; capſula ſubrotunda, in loculis biualuibus ſemina bina continet.

863. CROTON. *Linn.* RICINOIDES. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in ſimplici planta.

Stamineus. Calix pentaphyllus; corolla roſacea, petalis oblongis; glandulae nectariferae in fundo calicis quinque; ſtamina multa.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ſtyli tres, ſtigmata bifida: fructus ſubrotundus, tricoccos; ſemina oblonga.

BERNHARDIA. *Houſt. flores ſtamineos et piſtillatos in duplici planta exhibet.*

R 864.

864. MANIHOT. *Tourn. et Dill.*
IATROPHA. *Linn.*

Flores in corymbo, in ſummis pedunculis ſtaminei plures, in diuiſionibus pedunculorum piſtillati pauciores.

Stamineus. Calix quinquedentatus, minimus; corolla profunde quinquifida, *an pentapetala?* ſtamina quinque et plura ad decem; piſtillum vix vllum.

Piſtillatus. Calix exiguus; corolla roſacea; ouarium oblongum, ſtyli tres; fructus eſt capſula trilocularis; ſemina ſubrotunda, ſolitaria.

IVSSIEVIA. *Houſt. quam Linnaeus huc refert, nouem ſtamina habet, quorum tria longiora ſetam in filamentum inſertam oſtendunt.*

D. APETALAE.

865. CYNOMORIVM. *Mich. et Linn.*

Planta paraſitica, oblonga, Fungo ſimilis, ex ſquamis imbricatis compoſita, hae paululum ſecedunt et plantam in ſpicam typhoideam extendunt, quae aliis anguſtioribus ſquamulis vndique obſita eſt, inter has haerent flores ſtaminei et piſtillati ſeparatim.

Stamineus. Squama truncata, inferius anguſta, conuexa; ſtamen vnicum, anthera didyma.

Piſtillatus. Ouulum, ſquamulis ſecundariis ſpicae cinctum, vnico ſtylo donatum, ſemen ſubrotundum exhibet.

866. FICVS. *Tourn.*

Fructificationes continentur in cauo pomi carnoſi, cuius vmbilicus aliquot ſquamis clauditur, ſuntque floſculi vel ſtaminei vel piſtillati.

Stamineus. Calix tripartitus; ſtamina tria.

Piſtilla-

Piſtillatus. Calix quinquifidus; ſtylus ſimplex; ſemen ſubrotundum.

FICVS. *Pont. flores ſtaminei et piſtillati in ſimplici pomo.*

CAPRIFICVS. *Pont. flores ſtaminei in pomo abortiuo.*

ERINOSYCE. *Pont. flores ſtaminei in pomo abortiuo, piſtillati in pomo matureſcente.*

867. BLITVM. *Tourn. et Boerh.*

Flores, in ſpicis denſis, ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta; calices triphylli, colorati, foliolis acutis, perſiſtentibus.

Stamineus. Stamina tria.

Piſtillatus. Styli bini, operculo, horizontaliter dehiſcente, adhaerentes, ſub operculo in calice continetur ſemen vnicum, ſplendens.

Flores perfecti interdum praecedentibus immiſti ſunt.

Linnaeus ad Amaranthum refert, cum quo, excepto numero partium, exacte conuenit.

868. PHYLLANTHVS. *Linn.*

Folia oblonga, alterna; flores ſtaminei et piſtillati in longis pedunculis, ex alis foliorum, diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, ſexfidus; ſtamina tria.

Piſtillatus. Calix vt in ſtamineo; ſtyli tres, bidentati; fructus ſphaericus, trilocularis, loculo quolibet biualui, ſemina ſex, ſubrotunda.

869. CAREX. *Linn.*

Locuſta multiflora, vna vel plures, ſquamis oblongo-acutis, imbricatae; floſculi ſtaminei et piſtillati diſtincti.

Stamineus. Stamina tria, calice longiora obtinet.

Piſtillatus. Intra ſquamam folliculum inflatum, bidentatum obtinet, intra quem ouulum, ſtylo breui, trifido ornatum haeret, quod in ſemen triquetrum mutatur.

CYPEROIDES. *Mich. floſculos ſtamineos et piſtillatos in diſtinctis ſpicis ſiue locuſtis gerit, vtplurimum oblongis, in vna planta.*

VLVA. *Hall. ſpicas ſtaminiferas et piſtilliferas in duplici planta habet.*

CAREX. *Rupp. et Mich. floſculos ſtamineos et piſtillatos in ſingula ſpica habet, interdum ſtamineos ſuperius, piſtillatos inferius, interdum hos ſuperius, illos inferius.*

870. MAYS. *Tourn.* ZEA. *Linn.*

Habitus arundinaceus; flores ſtaminei et piſtillati in ſimplici planta.

Stamineus. Locuſta biflora; calix biglumis, glumis oblongis, muticis; folliculus biualuis, valvulis oblongis, muticis; ſtamina tria; flores ſpicati in ſumma planta.

Piſtillatus. Spica denſa, foliis inuoluta, infra ſtamineos; calix biglumis, glumis ſubrotundis, breuiſſimis, folliculus biualuis, valuulis latis, membranaceis, breuiſſimis; ſtylus ſimplex, longiſſimus; ſemina ſubrotunda, columnae mediae ſpicae adhaerentia.

871. COIX. *Linn.* LACRYMA IOBI. *Tourn.* HIERODACRYDIVM. *Sieg.*

Habitus arundinaceus; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Locuſta biflora; calix biglumis, glumis

glumis muticis, exteriore craſſiore; folliculus biualuis, valuulis muticis; ſtamina tria.

Piſtillatus. Locuſta biflora; calix biglumis, gluma exteriore duriore, maiore, nitida; folliculus biualuis, valuulis muticis; ſtylus ſimplex, ſtigmata duo; ſemen ſubrotundum, gluma calicis inuolutum.

872. SPARGANIVM. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in globulos collecti, illi ſuperiores, hi inferiores, in ſimplici planta.

Stamineus. Calix triglumis, deciduus; ſtamina tria.

Piſtillatus: Calix vt in ſtamineo; ſtylus breuis; recuruus; fructus ſunt capſulae oſſeae, vni vel biloculares, nucleo farinaceo foetae.

873. TYPHA. *Tourn.*

Habitus arundinaceus; clauae binae in vnico ſcapo, quarum ſuperior ſtamineos, inferior piſtillatos flores ſuſtinet.

Stamineus. Calix triglumis, vix conſpicuus. ſtamina tria.

Piſtillatus. Ouulum, pappis cinctum, ſtylo ſimplici, perſiſtente, inſtructum, in ſemen ouatum mutatur.

874. VRTICA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in vna planta diſtincti, vel interdum in diuerſis plantis.

Stamineus. Calix quadrifidus, in medio mellifer, ſtamina quatuor, ſegmentis calicis interpoſita.

Piſtillatus. Calix biualuis, perſiſtens; ſtylus villoſus; ſemen vnicum, oblongum, ſplendens.

VRTICA. *Tourn. foliola calicis in flore piſtillato obtuſa;*

CERATOIDES. *Tourn. acuminata obtinet.*

An CERATOCARPVS. *Buxb. huc referri poſſit, dubito, vtriusque plantae imperfecta deſcriptio.*

VRTICA. *Pont. flores diuerſos in duplici planta;*

VRTICOIDES. *Pont. in ſimplici planta obtinet.*

VRTICASTRVM. *Heiſt. ſpecies non vrentes complectitur.*

875. CVPRESSVS. *Tourn.*

Folia breuia, imbricata; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum ſubrotundum; ſquamae vniflorae, antheris quatuor ſingulae adhaerentibus.

Piſtillatus. Amentum ſubrotundum; ſquamae vniflorae, craſſae, ouulum paruum intra ſquamas coni peltatas poſitum; ſemen anguloſum.

876. THVYA. *Tourn.*

Folia breuia, imbricata; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum paruum, ſubrotundum; ſquamae ſubouatae, vniflorae; antherae quatuor, ſquamae adnatae.

Piſtillatus. Amentum paruum, oblongum; ſquamae biflorae; ouulum minimum, ſtylus ſimplex; conus obtuſus, ſub ſingula ſquama ſemina bina, oblonga, ala membranacea cincta.

877. VISCVM. *Tourn.*

Planta paraſitica; folia oppoſita, anguſta, oblonga; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta, conglomerati.

Linnaeus Dioeciis annumerat.

Sta-

Stamineus. Calix quadrifidus, ſegmentis ovatis, quibus quatuor antherae ſine filamentis adhaerent.

Piſtillatus. Calix ſimilis; ſtylus breuis; fructus ſiſtit baccam glutine plenam, globoſam, quae ſemen compreſſum, cordatum continet.

878. ALNVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis diſtinctis in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum cylindraceum, ex ſquamis trifloris compoſitum; calix proprius patens, quadrifidus; ſtamina quatuor.

Piſtillatus. Amentum ouatum, compoſitum ex ſquamis bifloris; ouulum paruum, ſtyli bini; fructus eſt conus, ſub cuius ſingula ſquama ſemina bina, anguloſa haerent.

879. BETVLA. *Tourn.* BETVLVS. *Lob. et Sieg.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis diuerſis in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum cylindraceum, ex ſquamis tridentatis, trifloris, compoſitum; calix proprius, ſquama maior aliis minoribus cincta, ex qua quatuor ſtamina ſurgunt.

Piſtillatus. Amentum cylindraceum, ex ſquamis bifloris, triangularibus compoſitum; ouulum minimum, ſtyli duo; fructus eſt conus, ſub ſingula ſquama ſemina tria, compreſſa, ala membranacea inſtructa.

880. MORVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici, interdum in duplici planta.

 Sta-

Stamineus. Amentum oblongum; calix quadrifidus, foliolis concauis; ſtamina quatuor.

Piſtillatus. Amentum oblongum; calix paruus, trifidus, vel quadrifidus, ouulum duplici ſtylo ornatum ſuſtinet, quod in bacculam pulpoſam, vnico ſemine oblongo foetam, mutatur; omnia in amentum coniuncta baccam compoſitam ſiſtunt.

881. BVXVS. *Tourn.*

Folia ſemper virentia; flores ſtaminei et piſtillati in glomerulos collecti, ex alis foliorum in ſimplici planta.

Stamineus. Calix ex quatuor vel pluribus ſquamis ſubrotundis conſtat; *Linnaeus calici tria foliola, corollae bina petala adſcribit;* ſtamina quatuor, thalamo quadragono adnata.

Piſtillatus. Calix vt in ſtamineo; *Linnaeus calici quatuor foliola, corollae tria petala adſcribit;* ſtyli breues; capſula ſubrotunda, triroſtris, trilocularis; ſemina oblonga, in ſingulo loculo bina.

882. AMARANTHVS. *Tourn.*

Flores in ſpicis denſis, ſtaminei et piſtillati in ſimplici planta, omnibus calices pentaphylli, colorati, foliolis acutis, perſiſtentibus.

Stamineus. Stamina quinque.

Piſtillatus. Styli tres, operculo horizontaliter dehiſcente, adhaerentes, ſub operculo ſemen vnicum, ſplendens.

Flores perfecti interdum praecedentibus immiſti ſunt.

883. ABIES. *Tourn.*

Folia longa, plana, ſparſim ſolitaria; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stami-

Stamineus. Amentum cylindraceum; ſquamae axi appoſitae, pollinem antherarum in binis loculis gerunt.

Piſtillatus. Amentum oblongum; ſquamae vniflorae, tenues; ouulum minimum, ſtylus ſimplex; ſemen durum, ala membranacea auctum.

884. LARIX. *Tourn.*

Folia tenuiora, plura ſimul ex vna gemma inſtar penicilli nata; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum ſubrotundum; antherae plurimae, minimae, in ſquamis gemmae.

Piſtillatus. Amentum ſubrotundum; ſquamae tenues; ouulum minimum, ſtylus ſimplex; ſub ſingula ſquama, ſemen durum, membrana auctum.

Ad Abietem refert Linnaeus.

885. PINVS. *Tourn.*

Folia bina vel plura ex vna vagina oriunda; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum racemoſum; calix triphyllus, caducus; ſtamina plurima, filamentis in columnam coalitis.

Piſtillatus. Amentum globoſum; ſquamae triflorae; ouulum minimum, ſtylus ſimplex; amentum mutatur in conum oblongum, ſquamis apice craſſioribus, ſub ſingula ſquama duo oſſicula ſaepe alata, nucleum oblongum continentia.

886. CERATOPHYLLVM. *Linn.*

HYDROCERATOPHYLLVM. *Vaill.*

DICHOTOPHYLLVM. *Dill.*

Planta aquatica; folia verticillata; flores ſtaminei

minei et piſtillati in verticillis ſingulis ſeparati.

Stamineus. Calix multifidus; antherae plures, quaſi conglomeratae, filamentis vix conſpicuis.

Piſtillatus. Calix ſimilis; ſtylus ſimplex; capſula vnilocularis vel acuminata, vel tridentata, monoſperma.

887. CYNOCRAMBE. *Tourn.* THELIGONVM. *Linn.*

Flores in alis foliorum ſtaminei et piſtillati in vna planta.

Stamineus. Calix monophyllus, ſemibifidus; ſtamina plurima.

Piſtillatus. Calix minor, monophyllus, bifidus; ouarium globoſum, ſtylus breuis; capſula coriacea, vnum ſemen globoſum continens.

888. DALECHAMPIA. *Plum.* CONVOLVVLO-TITHYMALVS. *Boerh.*

Inuolucrum commune duplicatum, exterius tetraphyllum, foliolis anguſtis, interius diphyllum, foliolis ſemitrifidis, in hoc inuolucro haerent flores ſtaminei et piſtillati ſeparati.

Stamineus. Calix ventricoſus, quinquifidus; ſtamina multa, ex calice ſucceſſiue erumpentia.

Piſtillatus. Ouarium ſubrotundum, ſtylus ſimplex, tubuloſus, limbo dentato, corollam mentiens; fructus eſt capſula tricocca, ſeminibus ſubrotundis foeta.

889. CARPINVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Sta-

Stamineus. Amentum cylindraceum; ſquamae oblongae, vniflorae, margine villoſae; ſtamina multa.

Piſtillatus. Amentum folioſum, laxum; ſquama biflora; ouulum paruum, ſtyli duo; fructus eſt nux ouata, anguloſa, intra baſin ſquamae calicinae haerens.

OSTRYA. *Mich. quae amentum floris piſtillati oblongum, ſquamoſum, ſemina oblonga, anguloſa, acuminata obtinet, huc referri poteſt.*

890. QVERCVS. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Floſculi rariores in filis ex gemma oriundis, quaſi in amentis laxioribus; calix ex ſquamis aliquot paruis compoſitus; ſtamina quatuor, ſaepe plura.

Piſtillatus. Ouula nonnulla filis, ex aliis gemmis oriundis, adhaerent; calix proprius paruus; ſtyli duo vel plures, ouulo inſiſtentes; fructus in calice proprio, hemiſphaerico, ſcabro, nucem oblongam, nucleo ſimili carnoſo, bifariam fiſſili, foetam, continet.

QVERCVS. *Tourn. folia ſinuata, quaſi laciniata.*

ILEX. *Tourn. folia oblonga, dentata; cortex tenuis.*

SVBER. *Tourn. folia oblonga, dentata; cortex craſſus, fungoſus.*

891. CORYLVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum cylindraceum, longiſſimum, conſtans ex ſquamis trifidis, ſegmento

ro medio latiore, vniflori; ſtamina octo vel plura.

Piſtillatus. Ouula nonnulla in gemma incluſa; calix proprius paruus; ouulum ſtylis binis ornatum; fructus ſiſtit calicem maiorem, monophyllum, margine lacero, in cuius fundo haeret nux oblongo-acuminata, ſimili ſemine foeta.

892. IVGLANS. *Linn.* NVX. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Amentum oblongum; calix monophyllus, multifidus; ſtamina plurima.

Piſtillatus. Ouaria, vnum vel aliquot, fere nuda, duplici ſtylo inſignita; fructus ſub cortice carnoſo nucem biualuem continet, in qua nucleus quadrilobus, irregularis ſuperficiei haeret.

893. LIQVIDAMBAR. *Linn.*

Flores ſtaminei in ſpicam diſpoſiti, ad cuius baſin piſtillati in globulos colliguntur, in ſimplici planta.

Stamineus. Calix tetraphyllus, caducus; ſtamina plurima.

Piſtillatus. Calix ſimilis, ſtyli duo; capſula oblonga, vnilocularis, apice biualuis, ſeminibus numeroſis foeta.

894. FAGVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis diuerſis in ſimplici planta poſiti.

Stamineus. Amentum rotundum, colligens calices monophyllos, quinquedentatos, plumoſos, ſtaminibus octo vel pluribus refertos.

Piſtillatus. Amentum rotundum, colligens cali-

calices monophyllos, quadridentatos; ſtyli tres; calix conniuens, ſpinis mollibus praeditus, fit fructus vnilocularis, aliquot nuces triquetras continens, in quibus ſemen carnoſum ſimile haeret.

895. CASTANEA. *Tourn.*

Flores ſtaminei conglomerati in amentis non denſis ſed rarioribus haerent. Piſtillati in amentis his ſeu ſpicis ſuperioribus quoque conglomerati haerent, ſed tantum in inferiori loco amenti.

Stamineus. Calix pentaphyllus; ſtamina ſex et plura.

Piſtillatus. Calix plurium ouariorum conglomeratorum, communis, multifidus, quaſi imbricatus, calix proprius quinquifidus vel ſexfidus; ſtyli tres, *an ſex?* fructus ſiſtit teſtam echinatam, vnilocularem, vt plurimum quadriualuem, nuces hinc conuexas, inde planas, vnam vel aliquot continentem, nucleo carnoſo ſimili foetas.

Ad Fagum refert Linnaeus.

896. RICINVS. *Tourn.*

Planta in calidiore climate arborea, nobis vt plurimum annua; folia alterna, magna, inciſa, peltata; flores in ſpica, ſtaminei in inferiori, piſtillati in ſuperiori parte, in ſimplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus; ſtamina plurima, filamentis in ramos quaſi coalitis.

Piſtillatus. Calix monophyllus, tripartitus, deciduus; ouarium oblongum, ſtyli tres, ſemibifidi; fructus tricoccus, externe appendiculis paruis ornatus; ſemina ſubouata.

897. ACALYPHA. *Roy. et Linn.*

Flores in alis foliorum ſpicati, ſuperiores ſtaminei, inferiores piſtillati.

Stamineus. Calix tetraphyllus, foliolis ſubrotundis; ſtamina octo vel plura.

Piſtillatus. Calix triphyllus, perſiſtens; ovarium ſubrotundum, ſtyli tres, vel vnus profunde trifidus; fructus eſt capſula triſulca, bilocularis; ſemina ſolitaria, ſubrotunda.

RICINOCARPVS. *Boerh. ſed vna vel altera ſpecies tantum huc referri meretur.*

898. PLATANVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis globoſis diſtinctis in ſimplici planta.

Stamineus. Squamulae anguſtae, multae, ſtamina diſtinguentes.

Piſtillatus. Ouula pappo capillari cincta, ſtylo ſimplici, ſtigmate recuruo inſignita, multis ſquamulis diſtincta.

899. ZIZANIA. *Linn.*

Flores ſtaminei in verticillis inferioribus paniculati, piſtillati in verticillis ſuperioribus, terminatrices, in ſimplici planta.

Stamineus. Calix nullus; folliculus biualuis, valuulis muticis; ſtamina ſex.

Piſtillatus. Calix nullus; folliculus vniualuis, conuolutus, in ariſtam longam deſinens; ſtylus bipartitus, ſtigmata plumoſa; ſemen oblongum, folliculo inuolutum.

900. ZANNICHELLIA. *Mich. et Linn.*
ALGOIDES. *Vaill.* APONOGETON. *Pont.*
GRAMINIFOLIA. *Dill.*

Planta aquatica; flores ex alis foliorum ſtaminei et piſtillati diſtincti.

Stamineus. Stamen vnicum, anthera ſimplex, longo filamento inſiſtens.

Piſtillatus. Calix monophyllus, ventricoſus, bidentatus, deciduus; ouula nonnulla oblonga, ex vna parte gibba, ex altera plana, ſtyli ſimplices, ſtigmata plana; ſemen ſub cruſta ouuli reniforme.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CLASSIS XVII.
Plantae flore relatiuo, diphyto.

A. MONOPETALAE.

901. VALLISNERIA. *Linn.*

Planta aquatica; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix exterior bifidus, continens capitulum oblongum, floſculis vndique tectum; corollae monopetalae, quadrifidae, reuolutae, deciduae et aquis innatantes; ſtamina bina.

Piſtillatus. Scapus tenuis, ſpiraliter contortus, elaſticitate quadam florem ex aquis protrudens; calix exterior tubuloſus, ore bifido; ouarium cylindraceum, calice interiore tripartito coronatum; corolla profunde tripartita, laciniis ouatis; ſtyli tres, reflexi; fructus eſt capſula longa,

longa, cylindracea, vnilocularis, ſeminibus copioſis, oblongis, parieti affixis.

VALLISNERIA. *Mich. plantam flore piſtillato;* VALLISNEROIDES. *plantam flore ſtamineo ſiſtit.*

902. RVSCVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix hexaphyllus; corolla monopetala, *nectarium Linnaeo;* ſtamina tria in orificio corollae.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ſtylus ſimplex; fructus eſt bacca globoſa, trilocularis, ſeminibus ſolitariis, vix omnibus maturis.

HYPOGLOSSVM. *Rai. foliolo ſecundario ex medio folio prodeunte a Ruſco differre videtur.*

LAVRVS ALEXANDRINA. *Rai.* DAPHNE. *Knaut. flores perfectos habet in ſummis ramulis poſitos, et ideo a Ruſco, cuius flos foliis inſidet, differre videtur.*

903. CERVISPINA. *Riu. et Dill.*

Planta arborea vel fruticoſa; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix nullus; corolla campanulata, quadrifida, ſquamulae quatuor in interſtitiis laciniarum, *quae petala ſunt Dillenii;* ſtamina quatuor.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ſtylus ſimplex, ſtigma quadrifidum; fructus eſt bacca, quatuor vt plurimum ſeminibus foeta.

Ad Rhamnum retulit Linnaeus.

904.

904. PISONIA. *Plum.* PENTAGONOTHECA. *Vaill.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix quinquifidus, paruus, ſegmentis acutis; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix et corolla ſimilis; ſtylus ſimplex, ſtigma globoſum; capſula quinquangularis, quinquevaluis, vnilocularis; ſemen vnicum, oblongum.

905. ZANONIA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix triphyllus, minor; corolla rotata, laciniis concauis, acuminatis; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix ouario inſidens, triphyllus; corolla rotata, laciniis acuminatis; ſtyli tres, ſtigmata bifida; fructus oblongo-truncatus, coriaceus, trilocularis, ſemina bina, oblonga, in ſingulo loculo, membrana inuoluta.

906. PAPAYA. *Plum. et Tourn.* CARICA. *Linn.*

Arbor caudice ſimplici, foliis laciniatis, inſtar Ricini, ornata; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix nullus; corolla infundibuliformis, tubo tenui, longiſſimo, ſenſim ampliato, limbo quinquifido inſtructa; ſtamina decem.

Piſtillatus. Calix quinquedentatus; corolla pentapetala, petalis in medio reflexis; ſtylus breuis, quinque tubis tridentatis inſtructus; fru-

ctus pulpoſus, ſulcis depreſſis diſtinctus; ſemina oblonga, ſulcata, membrana inuoluta.

907. TAMNVS. *Tourn.* BRYONIA NIGRA. *Rai.* TAMVS. *Linn.*

Caules volubiles, ſine capreolis ſcandentes; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix nullus; corolla vel hexapetaloidea, vel hexapetala; ſtamina ſex.

Piſtillatus. Calix nullus; corolla monopetala, ſemiſexfida, linea nectarifera ad baſin laciniarum intus poſita; ouarium ſub flore, ſtylus ſimplex, ſtigma trifidum; fructus oblongus, vix carnoſus, trilocularis; ſemina rotunda.

B. TRIPETALAE.

908. PHOENIX. *Kaempf. et Linn.* PALMA DACTYLIFERA. *Plum.*

Arbor non ramoſa; folia pinnata, extremo impari; ex alis foliorum ſurgit ſpatha compreſſa, ab vno latere dehiſcens, ex qua emergit ſcapus racemoſus; ſtaminei et piſtillati flores in duplici planta.

Stamineus. Calix tripartitus, minimus; petala tria, cuſpidata; ſtamina tria.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ſtylus breuis; fructus fit bacca, in ſylueſtribus coriacea, in cultis carnoſa, ſemine oblongo, ſulcato foeta.

Palmae reliquae conferantur ex Linnaei Muſa Cliffortiana et Horto Malabarico.

909. HYDROCHARIS. *Linn.* MICROLEVCONYMPHAEA. *Boerh.* STRATIOTES. *Dill.* MORSVS RANAE. *Tourn. et Rupp.*

Habitus Nymphaeae; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix communis bifolius, proprius triphyllus; corolla roſacea; ſtamina novem.

Piſtillatus. Ouarium ſub flore nudum; calix et corolla vt in ſtamineo; ſtyli ſex; fructus coriaceus, ſexlocularis; ſemina minutiſſima.

C. TETRAPETALAE.

910. FRAXINVS. *Mich.* ORNVS. *Pont.*

Planta arborea; folia pinnata, extremo impari; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix paruus, quadri-vel quinquedentatus; petala anguſta, longa, quatuor vel quinque; ſtamina bina.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ouulum compreſſum, oblongum, ſimplici vel trifido ſtigmate ornatum; ſemen oblongum, cruſta membranacea linguaeformi tectum. *An in his interdum flores perfecti?*

Ornus Mich. ad nudos flores relatus fuit.

FRAXINVS. *Tourn. et Linn. Ornum et Fraxinum Michelli complectitur.*

911. GLEDITSIA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amento diſpoſiti in duplici planta.

Stamineus. Calix quadrifidus; petala concava; ſtamina ſex.

Piſtillatus. Calix vt in ſtamineo; petala maiora; filamenta bina antheris deſtituta; ſtylus ſimplex; fructus eſt legumen longum, compreſſum, diſſepimentis tranſuerſim diſtinctum; ſemina ſubrotunda, nitida, in pulpa latitantia.

D. PENTAPETALAE.

912. CLVTIA. *Boerh.*

Folia oblonga, caduca; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix quinquefolius; corolla roſacea, petalis cordatis, ſquamae quinque tridentatae, glandulam nectariferam in ſinu fouentes; thalamus columnaris, cui quinque ſtamina radiatim adhaerent.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in praecedente; inter bina petala glandulae nectariferae binae, hinc decem; ſtyli tres, bifidi; capſula ſubrotunda, ſex lineis ſulcata, ſcabra; ſemina ſubrotunda.

913. NYSSA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix quinquifidus; petala quinque, *an calix decaphyllus?* ſtamina decem.

Piſtillatus. Calix quinquifidus, ouario inſidens, petala quinque; ſtylus ſimplex, ſtigma incuruum; fructus coriaceus, vnilocularis, ſemen vnicum, ſulcatum continens.

914. BONDVC. *Plum.* GVILANDINA. *Linn.*

Folia pinnata, abſque impari extremo; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, tubuloſus, ſemiquinquifidus; corolla roſacea; ſtamina decem.

Piſtillatus. Calix et corolla incerta; legumen rhomboideum, ventricoſum; ſemina oſſea, globoſo-compreſſa, inter diſſepimenta interna.

915. KIGGELARIA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus, campanulatus; petala quinque; ſtamina decem.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in ſtamineo; ſtyli quinque; capſula coriacea, globoſa, ſcabra, quinquevaluis; ſemina ſubrotunda.

916. DRYMOPOGON. *Tab.* BARBA CAPRAE. *Tourn.* ARVNCVS. *Linn.*

Flores in longas et ramoſas ſpicas diſpoſiti, ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, quinquifidus; corolla roſacea, petalis ouatis; ſtamina multa; in centro thalamus fungoſus.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in praecedente; ouula tria, ſtyli breues; fructus tres, vaginulae non dehiſcentes, in ſingula ſemen exiguum.

E. HEXAPETALA.

917. SMILAX. *Tourn.*

Habitus ſcandens cum capreolis; planta ſae-

 pius

pius ſpinoſa; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix nullus; corolla patens, foliolis reflexis; ſtamina ſex.

Piſtillatus. Calix et corolla vt in praecedenti; ouarium oblongum, ſtyli tres; fructus ſubrotundus, vno vel altero ſemine ouato foetus.

F. APETALAE.

918. SALIX. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis oblongis, diſtinctis in duplici planta.

Stamineus. Squamae amenti vniflorae; glandula nectarifera ad baſin; ſtamina duo vel tria.

Piſtillatus. Squamae amenti vniflorae; ouarium oblongum, corniculatum, ſtyli duo, breviſſimi; fructus eſt capſula vnilocularis, biualvis; ſemina papposa.

919. IVNIPERVS. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Amentum oblongum; ſquamae vniflorae; antherae tres, ſquamae quaſi adnatae.

Piſtillatus. Calix exterior tripartitus, perſiſtens; ouarium ſubrotundum; calix interior tripartitus, ouario inſidens, perſiſtens; ſtyli tres; fructus eſt bacca ſubrotunda, vmbilicata, tribus oſſiculis foeta.

IVNIPERVS. *Tourn. folia plana, acuta, terna ſemper oppoſita.*

CEDRVS. *Tourn. folia breuia, imbricata; bacca ſubrotunda.*

SABI-

SABINA. *Boerh. folia breuia, imbricata; bacca verrucoſa.*

920. OSYRIS. *Linn.* CASIA. *Tourn.*

Flores ex alis foliorum, ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, trifidus; ſtamina tria.

Piſtillatus. Calix ouarium cingens, monophyllus, trifidus; ſtylus breuiſſimus; fructus eſt bacca vmbilicata, oſſiculo vnico, globoſo foeta.

921. HIPPOPHAE. *Linn.* RHAMNOIDES. *Tourn.*

Habitus Rhamni ſpinoſus; flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in duplici planta.

Stamineus. Calix monophyllus, bifidus, ſegmentis ſubrotundis; ſtamina quatuor.

Piſtillatus. Calix monophyllus, tubuloſus, limbo bifido, deciduus; ſtylus ſimplex; fructus eſt bacca globoſa, vnicum ſemen continens.

922. MYRICA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis oblongis, diſtinctis in duplici planta.

Stamineus. Squamae amenti vniflorae, lunulatae; ſtamina quatuor, raro ſex.

Piſtillatus. Squamae amenti vniflorae, lunulatae; ouarium ſubrotundum, ſtyli duo; fructus eſt bacca vnicum ſemen continens.

GALE. *Tourn. ſtamina quatuor; bacca coriacea, triloba.*

AMBVLON. *I. B. ſtamina ſex; bacca carnoſa, globoſa.*

923. CERATONIA. *Dod. et Linn.*
SILIQVA. *Tourn.*

Planta arborea; folia pinnata, impari extremo; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta, an et in ſimplici?

Stamineus. Calix quinquifidus; ſtamina quinque, longa, ex calicis inciſuris oriunda, expanſa.

Piſtillatus. Calix monophyllus, quinquifidus; ouarium, intra thalamum carnoſum oriundum, fit legumen compreſſum, diſſepimentis tranſuerſis, pulpoſis, ſemina ſubrotunda, compreſſa, ſplendentia diſtinguens.

924. LVPVLVS. *Tourn.* HVMVLVS. *Linn.*

Radix repentiſſima; folia ſcabra, anguloſa, oppoſita; caules volubiles; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Flores in racemis; calix monophyllus, profunde quadrifidus vel quinquifidus; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Strobilus, ex ſquamis axi appoſitis, compoſitus, et inuolucro vniuerſali tetraphyllo cinctus; intra ſquamas haerent ouula, duplici ſtylo ornata; ſemen ſubrotundum, tegmine membranaceo cinctum.

925. CANNABIS. *Tourn.*

Radix annua, folia digitata, coniuncta; cortices lenti, tenaces; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix quinquifidus; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix monophyllus, perſiſtens, acumi-

acuminatus, lateraliter dehiſcens; ouula duplici ſtylo ornata; fructus eſt teſta dura, rotunda, fragilis, ſemine globoſo foeta.

CANNABINA. *Tourn. habitu cum praecedente conuenit, ſed ſtamina plura et capſula vnilocularis, trigona, multis ſeminibus foeta, differentiam generis conſtituunt.*

926. TEREBINTHVS. *Tourn.*

PISTACIA. *Linn.*

Folia ternata, vel pinnata, extremo impari; flores in racemis, ex alis foliorum, ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix quinquedentatus, minimus; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix minimus; ſtyli duo, reflexi; fructus fit bacca, coriaceo nucleo, biloculari foeta, vnico ſemine ſaepius tantum matureſcente.

927. LENTISCVS. *Tourn.*

Folia pinnata, extremo impari, vel obliquo; flores in racemis, ex alis foliorum, ſtaminei et pistillati in duplici planta.

Stamineus. Calix minimus, quinquedentatus; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix minimus; ſtyli tres, reflexi et cirrhoſi; fructus fit bacca carnoſa, vno vel altero ſemine foeta.

Linnaeus ad Piſtaciam retulit.

928. DIOSCOREA. *Plum.*

Flores ſtaminei et piſtillati in diuerſis plantis.

Stamineus. Calix monophyllus, ſexfidus, ſegmentis acutis, patentibus; ſtamina ſex.

Piſtillatus. Calix vt in ſtamineo; ſtyli tres; fructus eſt capſula triangularis, trilocularis, triualuis, in quolibet loculo ſemina bina, margine membranaceo cincta.

929. SPINACIA. *Tourn.*

Radix annua; flores ex alis foliorum, ſtaminei et piſtillati in diſtinctis plantis.

Stamineus. Calix quinquifidus, ſegmentis oblongis; ſtamina quinque.

Piſtillatus. Calix quadrifidus, perſiſtens; ſtyli quatuor, villoſi; fructus ſubrotundus vel anguloſus; ſemen vnicum, ſubrotundum.

930. RAIANIA. *Linn.* IAN-RAIA. *Plum.*

Flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix hexaphyllus, foliolis oblongis; ſtamina ſex.

Piſtillatus. Calix ouario inſidens, ſexpartitus, perſiſtens; ſtyli tres; fructus ſubrotundus, ala membranacea, in vnum latus flexa, auctus, ſemine ſubrotundo foetus.

931. EPHEDRA. *Tourn.*

Habitus fruticoſus; folia Equiſeti; flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Amentum ſquamoſum, floſculos conglomeratos ſiſtens; calix ſingulus minimus, bifidus; antherae ſeptem vt plurimum corpuſculo craſſiori inſiſtunt.

Piſtillatus. Amentum ſquamatum, ſquamis ſucculentis, cruciatim poſitis conſtat et baccam mentitur; ouarium in apice poſitum, ſtyli bini; ſemina bina, ouato-acuta, polita, parte auerſa gibba, contigua plana, membrana cincta.

932.

932. POPVLVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in amentis oblongis in duplici planta.

Stamineus. Squamae vniflorae, fimbriatae; ſtamina octo; nectarium corniculatum.

Piſtillatus. Squamae et nectaria vt in ſtamineo; ſtigma quadrifidum; fructus oblongus, bilocularis, biualuis; ſemina papposa.

933. MERCVRIALIS. *Tourn.*

Folia oppoſita; flores ex alis foliorum ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix tripartitus, ſegmentis oblongo-acutis, patentibus; ſtamina plura, quinque ad quindecim.

Piſtillatus. Calix tripartitus; ouarium ſubrotundum, compreſſum, ſtyli duo, reflexi, hirſuti; capſula didyma, bilocularis; ſemina ſubrotunda.

934. CLIFFORTIA. *Linn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in duplici planta.

Stamineus. Calix triphyllus, foliolis acutis; ſtamina multa.

Piſtillatus. Calix triphyllus, ouario inſiſtens; ſtyli duo; capſula oblonga, bilocularis, in ſingulo loculo ſemen vnicum, teretiuſculum.

935. TAXVS. *Tourn.*

Flores ſtaminei et piſtillati in diſtinctis plantis.

Stamineus. Calix tetraphyllus, foliolis binis exterioribus durioribus, interioribus teneris; filamentum craſſum, carnoſum, plurimis antheris anguloſis praeditum.

Pi-

Piſtillatus. Calix idem; thalamus pulpoſus, baccam referens; ſtylus vix vllus; in cauo thalami haeret ſemen oblongum, nudum.

* *

CLASSIS XVIII.
Plantae flore nudo.

Claſſis haec vltima nudos ſiſtit flores, ſub hoc nomine illae tantum recenſendae eſſent plantae, quae ſtamina et piſtilia ſine inuolucris euidenter conſpiciendis exhibent, nos vero varias quoque iunximus plantas, quae vnam vel alteram floris partem oſtendunt, et interdum ipſis inuolucris non deſtituuntur, quoniam calices, petala, ſtamina et piſtilla non adeo euidenter diſcerni et ad praecedentes claſſes reduci poſſunt. Praemiſſis igitur plantis, quae vere nudae ſunt, filices, muſcos, fungos, poſtea quasdam dubias et prioribus affines, tandem ſubmarinas exponimus.

A. NVDAE.

Huc retulimus quasdam plantas, quae inuolucro nullo praeditae ſunt, ſtamina tamen et piſtilla gerunt, et potius cum antecedentibus, quam conſequentibus conueniunt.

936. SALICORNIA. *Tourn.*

Habitus aphyllus; planta teres, ſucculenta, ex ſquamis tetragonis, cauli circumpoſitis conſtans; ex ſquamarum commiſſuris ſtamen vnicum; ſtylus ſimplex, ſtigma bifidum; ſemen vnicum.

937.

937. LIMNOPEVCE. *Vaill.* PINASTELLA. *Dill.* HIPPVRIS. *Linn.*

Folia verticillata; ouula in alis foliorum margine tenui coronata; ſtamen vnicum; ſtylus ſimplex; ſemen vnicum, ſubrotundum.

PINASTELLA. *Rupp.* BLITOIDES. *Sieg. forte huc referri poſſet, ſed altera ſpecies, monente Hallero, potius ad Ceratophyllum pertinet. Vid. Hippuris Rupp. in editione Florae Ienenſis Halleri.*

938. PIPER. *Linn.*

Flores in ſpicis; ouulum rotundum, ad cuius baſin antherae binae collocatae ſunt; ſtylus breviſſimus, ſtigma villoſum; ſemen globoſum, cortice tectum.

939. ORNVS. *Mich.*

Folia pinnata, impari extremo, ſquamae binae pedunculos ramoſos continent; in quolibet ramo haeret flos nudus, piſtillum emittens, cui vtrinque bina ſtamina annexa ſunt: piſtillum vero ſtylo breuiſſimo inſtructum, in fructum linguaeformem mutatur, oblongum.

Linnaeus ad Fraxinum retulit.

940. DORSTENIA. *Plum.*

Fructificationes thalamo plano, anguloſo, membranaceo adhaerent, in cuius foueis haerent ſtamina quatuor, et ouulum acuminatum, ſtylo ſimplici ornatum.

941. RVPPIA. *Linn.* BVCCA FERREA. *Mich.*

Planta aquatica, repens; folia anguſta, vaginantia; in ſummis ramulis haerent ſpicae, ex antheris reniformibus ſine filamentis, compoſitae,

tae, inter quas emergunt pedunculi tenues, quibus ſingulis inſiſtit ouulum, ſtigmate paruo ornatum, quod mutatur in ſemen vnicum, ſubrotundum, cruſta acuminata, obliqua tectum.

B. FILICES.

Filices cum Plumierio Linnaeus appellat omnes plantas, quae vel in dorſo foliorum tantum, vel in dorſo foliorum et ſpicis, vel in ſpicis tantum, flores vel fructus veſtigia ſeu fructificationes in acervulos aut capſulas quasdam colligunt. Appellantur epiphylleſpermae ſeu dorſiferae, quoniam plurimae fructificationes in dorſo foliorum gerunt: cum vero hoc non in omnibus occurrat, Raius capillares has plantas dixit, vel a radice fibroſa, vel a pedunculis foliorum, in quibusdam ſpeciebus teneris, capillis ſimilibus. Nos conſideratis epiphylleſpermis analogas quasdam ſubiuncturi ſumus.

942. ACROSTICHVM. *Hall.*

Fructificationes totam auerſam foliorum ſuperficiem occupantes.

ACROSTICVM. *Linn. et hanc et quasdam Aſplenii ſpecies complectitur.*

943. ASPLENIVM. *Hall.*

Fructificationes in lineas ad coſtam vel nervum folii oblique diuergentes diſpoſitae, interdum adeo copioſae, vt ſuperficiem folii inferiorem, vt in Acroſticho tegere videantur.

Ex foliorum differentia vlterius diſtinguuntur:
LINGVA CERVINA. *Tourn.* PHYLLITIS. *Rai. et Rupp. folia longa, integra, vel ſimplicia, vel ſuperius laciniata.*

HEMI-

HEMIONITIS. *Tourn. non niſi foliis inferius auriculatis a Lingua ceruina differt.*

ASPLENIVM. *Tourn.* SCOLOPENDRIA. *Rai.* CETARACH. *Off. folia ſemipinnata; fructificationes copioſae.*

TRICHOMANES. *Tourn. folia pinnata; foliolis nonnunquam ſemipinnatifidis.*

RVTA MVRARIA. *Rai.* MVRARIA. *Rupp. folia ramoſa, fructificationes in pinnulis ex ambitu ad mediam partem conuergentes. Hallerus eandem huc refert, Linnaeus cum Acroſticho coniungit.*

944. POLYPODIVM. *Hall.*

Fructificationes vel ſubrotundae, vel lunulatae, figura vix certis limitibus circumſcribenda, in lineis ad neruum laciniarum vel pinnularum, diſpoſitae.

POLYPODIVM. *Tourn. folia pinnatifida, profunde quidem, ſed non ad coſtam vsque ſecta.*

LONCHITIS. *Tourn. folia pinnata, vel ramoſo-pinnata, pinnis auriculatis.*

FILIX. *Tourn.* PTERINIVM. *Sieg. folia pinnata, pinnis pinnatifidis.*

FILICVLA. *Tourn. folia ramoſa, pinnis pinnatis.*

945. ADIANTHVM. *Linn.*

Fructificationes variae figurae, vt plurimum ouales, apicibus foliolorum inciſorum ſubiectae.

946. PTERIS. *Linn.* THELYPTERIS. *Rupp.* FILIX. *Hall.* PTERIVM. *Sieg.*

Fructificationes in lineis ad limbum foliorum pinnatorum diſpoſitae; folia vt plurimum ramoſa, pinnata.

947. LONCHITIS. *Linn.*

Fructificationes lunulatae, ad ſines foliorum pinnatiſidorum tantum poſitae.

948. HEMIONITIS. *Linn.*

Fructificationes in lineis varie coeuntibus vel ſe interſecantibus diſpoſitae.

949. TRICHOMANES. *Linn.*

Fructificationes ex foliorum limbis ſurgunt, calice quaſi cinctae, et ſtylum ſuperius emittentes.

Haec tria genera ex Plumerianis ſunt, et forte plura formari poſſent, niſi limites, vt in noſtris iam vidimus, difficilius deſinirentur.

950. STRVTHIOPTERIS. *Cord. et Hall.* SPICANT. *Rupp.* PTERINOIDES. *Sieg.*

Folia profundius pinnatifida, in ambitu ceſpitis oriunda, nullis fructificationibus referta; folia ex medio ceſpite oriunda, prioribus ſimilia, ſed anguſtiora, margine reuoluta, lineis fructificationis neruo parallelis.

FILICASTRVM. *Amm. ad praecedens genus proxime accedit.*

951. OSMVNDA. *Tourn.*

Folia diuerſae figurae, pinnata vel pinnatifida, nullis fructificationibus referta; racemi vel ſimplices vel ramoſi, capſulas globoſas, plurimas, horizontaliter dehiſcentes et puluerem emittentes obtinent.

LVNARIA. *Rai. et Riv. pinnis foliorum lunatis, vel multifidis et racemis vix copioſis ab Oſmunda differt.*

952.

952. OPHIOGLOSSVM. *Tourn.*

Folium vnicum, pedunculo a latere adhaerens; ſpica lingulata, multas cellulas vtrinque poſitas obtinet, quae puluerem ſeminalem emittunt.

953. EQVISETVM. *Tourn.*

Radix repentiſſima; caules et folia teretia, caua, pyxidatim articulata; amentum oblongum, ex ſcutis ſexangularibus, capſulas puluerulentas, introrſum verſus directas et elaſticas tegens, componitur, ex capſulis puluis ſeminalis diſpergitur.

954. CHARA. *Vaill.* HIPPVRIS. *Dill.*

Planta aquatica; caules ramoſi; folia verticillata; habitus Equiſeti; globuli floriferi in alis foliorum ſeſſiles.

Calicem bifolium, corollam dentatam, antheram vnam ſine filamento, capſulam monoſpermam ex Pontedera et Vaillantio addit Linnaeus.

C. MVSCI.

Muſci ſunt plantae perennes, foliis a caule diſtinctis, facile et poſt annos reuiuiſcentes; licet veras radices non omnes emittant, tamen caulium ima parte terrae et aliis corporibus adhaerent, vt aliquam ad minimum partem ſucci nutritii inde trahere videantur. Ex capitulis vel capſulis pollinem fundunt, qui antherarum puluerem et ſemina ipſa ſiſtit, nondum tamen accurate diſtinguitur. Michelius aliqua differentiae ſtaminum et piſtillorum veſtigia invenit, nondum luculenter demonſtrata.

955. LYCOPODIVM. *Linn.*

Capſulae feminiferae in alis glumarum vel foliorum biualues, ſingulares vel plures.

LYCOPODIVM. *Dill. ſpica in ſummitate emiſſa ex glumis, a foliorum plantae fabrica diuerſis, compoſita; capſulae ſolitariae, perſiſtentes.*

LYCOPODIOIDES. *Dill. capſulae plures; reliqua Lycopodii.*

SELAGO. *Dill. capſulae ex alis foliorum plantae, ſeſſiles, ſolitariae.*

SELAGINOIDES. *Dill. capſulae plures; reliqua Selaginis.*

956. POLYTRICHVM. *Dill.*

Caules erecti; pedunculi ex ramuli apice prodeuntes; capſulae operculo tectae; calyptra villoſa, decidua.

Linnaeus florem piſtillatum in foliolis, ſtellae in modum, in ſummitate diſtinctarum plantarum, diſpoſitis, indicauit.

ADIANTHVM AVREVM. *Off. huc referatur.*

957. BRYVM. *Dill.*

Cum Polytricho conuenit, ſed calyptra laevis eſt.

958. HYPNVM. *Dill.*

Pedunculus ex alis foliorum; capſula operculo tecta; calyptra decidua, acuminata.

959. MNION. *Dill.*

Capitula mollia, nuda, prorſus nulla calyptra, nullaque membrana cincta, ex ſummis caulibus vel ramulis.

960. SPHAGNVM. *Dill.*

Planta caulifera vel acaulos; capſulae ouatae

ve

vel cylindricae, nulla calyptra tectae, in ſummis ramulis ſeſſiles: capſulae apex in oſculum denticulatum dehiſcit et puluerem emittit.

961. FONTINALIS. *Dill.*

Capſulae nulla calyptra tectae, in alis foliorum ſeſſiles, vel breuiſſimo petiolo inſtructae, per maturitatem diſſilientes.

962. IVNGERMANNIA. *Linn.*

Planta repens; folia ſimplicia, in ſurculos diſpoſita; ex vaginula membranacea ſurgit pedunculus, ſphaerulam ſuſtinens, quae in quatuor valuas diſſilit et pollinem eiicit; ſemina vel in eadem, vel in alia planta in ſinu foliorum haerent, vel ſolitaria, vel conferta.

IVNGERMANNIA. *Mich. forte flores ſtamineos,*

MVSCOIDES. *Mich. plantas ſemina exhibentes ſiſtit.*

LICHENASTRVM. *Dill. huc referatur.*

D. FVNGI.

Fungi ſunt plantae, quae carnoſam ſubſtantiam ſiſtunt, et vel pedunculo et pileo ſimul, vel pileo tantum, lateraliter ad alia corpora accreſcente, conſtant, vel tandem variam, in primis globoſam figuram obtinent.

963. AMANITA. *Dill.* FVNGVS. *Mich.*

Planta fungoſa, cuius pedunculus pileum ſuſtinet, inferiori ſuperficie lamellis a centro ad peripheriam ductis, ornatum, his lamellis ſemina vtrinque, margini vero inferiori corpuſcula, antheris ſimilia, adhaerent.

AGARICO-FVNGVS. *Hall. ſpecies pedunculo deſtitutas ſiſtit.*

AGARICVS. *Linn. Amanitam et Agarico-Fungum coniungit.*

964. SVILLVS. *Mich.*

Planta fungoſa, cuius pedunculus pileum ſuſtinet; ſubſtantia pilei inferior a ſuperiori fungoſa ſeparari poteſt, et ex tubulis conſtat, in quibus ſemina haerent, oſculo vero quaedam corpuſcula antheris ſimilia affiguntur.

AGARICO-SVILLVS. *Hall. cum praecedente conuenit, ſed pedunculo deſtituitur.*

965. POLYPORVS. *Mich.*

Planta fungoſa, cuius pedunculus pileum ſuſtinet; ſubſtantia pilei inferior a ſuperiori fungoſa non ſeparari poteſt, et ex orificiis vel cellulis ſeminiferis tantum compoſita eſt.

AGARICO-POLYPORVS. *Hall. cum praecedente conuenit, ſed pedunculo deſtituitur.*

BOLETVS. *Linn. praecedentes plantas coniungit.*

BOLETVS. *Dill. Suillum et Polyporum coniungit, tanquam Fungos pedunculo inſtructos, inferius poroſos.*

966. ERINACEVS. *Dill. et Mich.*

HYDNVM. *Linn.*

Planta fungoſa, cuius pedunculus pileum ſuſtinet, inferiori ſuperficie papillis ſiue denticulis anguſtis, acutis, ornatum.

ECHINAGARICVS. *Hall. ſpecies pedunculo deſtitutas ſiſtit.*

967. MERVLIVS. *Hall.*

Planta fungoſa, cuius pedunculus pileum ſuſtinet, inferiori ſuperficie venis ramoſis, cum carne fungi continuis, ornata.

AGA-

AGARICO-MERVLIVS. *Hall. ſpecies pedunculo deſtitutas ſiſtit.*

968. PHALLVS. *Linn.*

Planta fungoſa, pedunculo et pileo vel capitulo donata; ſuperficies ſtriis eminentibus et craſſioribus varie reticulata.

PHALLVS. *Mich. planta in ortu ex membrana rupta ſiue volua oriunda; pedunculus tubo, in media volua poſito, inſertus, pilei ſummitate vel perforata, vel non perforata, ſubſtantia reticulata, liqueſcens ſemina continet.*

BOLETVS. *Mich.* MORCHELA. *Dill.* MERVLIVS. *Boerh. non pileum ſed capitulum reticulatum obtinet.*

PHALLO-BOLETVS. *Mich. pedunculus ex nulla volua oriundus; ſemina per pilei ſuperficiem diſperſa; pileus de reliquo Phallo ſimilis.*

Tournefortius ad BOLETVM *retulit.*

969. CLATHRVS. *Mich.*

Planta fungoſa, oblonga, corticem deponens, reticulata, in medio caua, maſſa glutinoſa, ſeminifera repleta, quae guttatim defluit.

Ad Boletum refert Tournefortius.

CLATHROIDES. *Mich. planta fungoſa, oblonga, vel rotunda, ſub cortice reticulata, non caua, in areolis reticuli ſemina exhibet et eiicit.*

CLATHROIDASTRVM. *Mich. cortex vel nullus, vel fugax, pedunculo per capitulum exterius reticulatum producto.*

SPHAEROCEPHALVS. *Hall. planta fungoſa, pedunculo capitulum ſphaericum ſuſtinet, cortice obductum, intus non reticulatum, ſed ſpongioſum et filamentoſum.*

BVXBAVMIA. *Hall. ad Clathroidem accedit, ſed durior eſt, vacuas reticuli areas non relinquit.*

970. FVNGOIDASTER. *Mich.*

Planta fungoſa, cuius pedunculus pileum ſuſtinet, ſuperiori et inferiori ſuperficie leui, nunc in hac, nunc in illa ſemina exhibens.

AGARICVS. *Hall. ſimiles plantas pedunculo deſtitutas exhibet.*

AGARICVS. *Mich. non ſolum Agaricum Halleri, ſed omnes plantas fungoſas, pedunculo deſtitutas, exhibet.*

971. FVNGOIDES. *Mich.*

Planta fungoſa, figura diuerſisſima, ſuperficie leui, ſemina in ſuperiori parte vel pilei, vel capituli gerit.

ELVELA. *Linn. hoc et praecedens genus coniungit.*

972. CYATHOIDES. *Mich.*

PEZIZA. *Dill. et Linn.*

Planta tenera, coriacea, cyathiformis, inferius anguſtior, ſuperius nonnihil ampliata, et primum membranula tenera tecta, qua fiſſa fructus lentiformes, tenui pedunculo adhaerentes, ex cauo ſecedunt, qui pulpoſi ſunt et glutinoſi, ſeminaque plurima continent.

FVNGOIDES. *Vaill. quaedam ſpecies huc referantur.*

973. LYCOPERDON. *Tourn. et Linn.*

BOVISTA. *Dill.*

Planta fungoſa, vel pedunculo donata, vel ſubrotunda ſine pedunculo, cortice ſimplici, dupli-

duplici, triplici cincta, in ſummitate dehiſcens et farinam ſeminalem emittens.

LYCOPERDON. *Mich. cortex duplex vel triplex, pulpa in pollinem reſoluta.*

LYCOPERDOIDES. *Mich. cortex ſimplex, pulpa in cellulas diuiſa, quae glebulas filamentoſas continent.*

LYCOPERDASTRVM. *Mich. cortex ſimplex, pulpa in pollinem tenuiſſimum reſoluta.*

GEASTER. *Mich. cortex duplex, pulpa in pollinem tenuiſſimum reſoluta.*

CARPOBOLVS. *Mich. cortex duplex, pulpa exſiccata inſtar globuli cum elaſticitate eiicitur.*

974. CLAVARIA. *Linn.*

Planta fungoſa, vel ſimplex, vel ramoſa, interne vel caua, vel plana, ſeminibus in ſuperficie adhaerentibus.

CLAVARIA. *Mich. ex pedunculo tenui ſenſim in clauam craſſiorem extenditur.*

CORALLOIDES. *Mich. planta ramoſa eſt, apicibus extenuatis.*

CORALLO-FVNGVS. *Vaill. cum Coralloide proxime conuenit.*

FVNGOIDES. *Dill. huc quoque referri poſſet.*

975. TVBER. *Mich.* TARTVFI. *Imp.*

Planta calloſa, ſub terra naſcens, figura ſubrotunda, cortice inaequali, rimis diſtincto, in quibus veſiculae vno vel altero ſemine repletae haerent.

E. PLANTAE DVBIAE.

Huc reieci plantas, quae varia cum praecedentibus communia habent, interim tamen characteres

 adeo

adeo ambiguos oſtendunt, vt, quorſum referrem, vix definire poteram, in primis cum in his et pluribus praecedentibus examen non ſuſceperim, ſed auctorum deſcriptiones ſecutus fuerim.

976. MARCHANTIA. *Linn.*

Planta ſerpens, foliacea, foliis ramoſis, ima ſuperficie radicatis, ſuperiori ſuperficie partim pedunculos, qui capitula variae formae farinifera ſuſtinent, partim ſemina vario modo diſpoſita oſtendunt.

MARCHANTIA. *Mich. in ſummitate pedunculi ſcutum multifidum, ſub cuius laciniis multi floſculi monopetalis ſimiles et duplici calice comprehenſi, latent, ex floſculis illis puluis emittitur, ſemina vero haerent in acetabulis, quorum margo vt plurimum dentatus eſt.*

HEPATICA. *Mich. ſcutum capitatum, ſulcatum, in ima parte floſculos monopetalis ſimiles, quinquifidos, calice contentos et puluerem dimittentes ſuſtinet; ſemina in acetabulis.*

LVNVLARIA. *Mich. capitulum cruciatum; in quatuor apicibus adhaerent floſculi tetrapetaloidei, in apice filamentoſi; ſemina in acetabulis ſemilunatis.*

MARSILEA. *Mich. capitula ſphaerica, in floſculum tetrapetaloideum aperta, filamentis vel in medio floſculo, vel in apice petalorum poſitis; ſemina vel in tota foliorum ſuperficie, vel in apicibus foliorum conferta.*

Hanc ad Iungermanniam retulit Linnaeus.

977. LENTICVLA. *Mich.*

Folia parua, aquis innatantia, inferius radiculas in aquam demittentia; calix cucullatus, inaequa-

aequalis, ſtamina bina emittens, et ouarium imperfectum, in altero latere folii ſimilis calix, ovarium oblongo-cuſpidatum ferens obſeruatur, quod in fructum, ſemina ſtriata continentem, mutatur.

LENTICVLARIA. *Mich. priori ſimilis, ſed ſemina tantum quaedam in inferiori parte foliorum vel oblonga, vel rotunda oſtendit.*

HYDROPHACE. *Buxb. eſt Lenticulae ſpecies, quae ſub ſingulo folio globulum, ex multis acinis, inſtar fructus Rubi, compoſitum, ſtigmatibus pariter punctatum gerit, hanc cum Raio ad capillares plantas refert.*

LEMNA. *Linn. Lenticulam Mich. et Hydrophacen Buxb. coniungit.*

978. PILVLARIA. *Vaill.* HYDROPIPER. *Buxb.* GRAMINIFOLIA. *Rai.*

Planta paluſtris; folia in pedunculo ſterili quaterna, ante maturitatem conuoluta, *antherae Linnaeo;* pedunculus breuis ſuſtinet fructum ſphaericum, grani Piperis magnitudine, quadrilocularem, multis ſeminibus foetum.

979. SALVINIA. *Mich.*

Planta paluſtris, ramoſa, foliis pinnatis; ſuperficies folii verrucoſa, ex qualibet verruca filamenta quatuor; fructus radici adhaerens, ſubrotundus, vel ſingularis, vel duplex, vel triplex, vnilocularis, multa ſemina continens.

MARSILEA. *Linn. Saluiniam Mich. et Pilulariam Vaill. coniungit.*

980. RICCIA. *Mich.*

Folia coriacea, plus minus ramoſa, ſerpentia, filamenta erecta, apice truncata, vel ad neruum

folii, vel in tota ſuperſicie; capſulae oblongo-cuſpidatae, coaceruatae et ſemina minutiſſima continentes, vel in eadem, vel in diſtincta planta.

981. ANTHOCEROS. *Mich.*

Folia plana, coriacea, coaceruata; in ſuperficie ſuperiori vaginula, ex cuius orificio ſurgit cornu longum, biualue, ſarina filamento, per medium excurrenti adhaerens; capſulae ſtellatae, ſexfidae, vel in iisdem foliis, vel in aliis ſimilis plantae; ſemina minutiſſima, in radiis ſtellae contenta.

Ad Lichenaſtrum retulit Dillenius.

982. TARGIONIA. *Mich.*

Folia coriacea, coaceruata, in quorum apice, vel forte in ambitu paſſim calices bifidi apparent, hi in medio floſculos monopetalos, filamentis repletos, continent.

983. SPHAEROCARPOS. *Mich.*

Ampullulae multae, oblongae, coriaceae, coaceruatae, quaelibet ampulla oblonga, orificio ſuperius aperta eſt, in fundo ampullulae haeret corpuſculum ſphaericum, ſemina plurima, exigua continens.

984. BLASIA. *Mich.*

Folia coriacea, ramoſa, ex ſuperficie ſuperiori emittunt tubulos ſubcylindricos, ſuperius ampliores, ad foliorum margines adſtant capſulae variae, minimis ſeminibus repletae.

985. LICHEN. *Mich.*

Planta coriacea, membranoſa, durior vel mollior, lamellata, ramoſa, variae figurae, veris foliis

foliis deſtituta, corpuſcula antheris ſimilia, diuerſae figurae, varie diſpoſita gerens, ſeminibus farinaceis in eadem, vel diſtincta planta ſparſis.

986. LICHENOIDES. *Mich.*
Planta cruſtoſa, parua, cellulas minimas fornicatas, apice perforatas ſiſtens, in quibus gelatina, corpuſcula, ſiliquis articulatis ſimilia, continet.

987. LINCKIA. *Mich.*
Lichenis gelatinoſi ſpecies, ſeminibus in ſuperficie in tortuoſam & nodoſam lineam diſpoſitis.

988. LICHEN-AGARICVS. *Mich.*
Planta coriacea, inter Lichenem et Agaricum dubia, variae figurae, ex cauitate ſphaerica pulverem nigricantem emittit.

989. CERATOSPERMVM. *Mich.*
Planta paruula, Agarico ſimilis, ſemina corniculata emittens.

990. BOTRYTIS. *Mich.*
Plantula tenera, ex tenuiſſimo pedunculo ramos emittens, cui ſemina vel racematim, vel ſpicatim adhaerent.

ASPERGILLVS. *Mich. ſemina tenera, in filamenta nexa, varie diſpoſita obtinet et ad Botrytin proxime accedit.*

Haec bina genera ad Byſſum refert Linnaeus.

EMBOLVS. *Hall. planta tenera, tenui pedunculo cylindrum, embolo ſiphonis ſimilem, ſuſtinens; ſemina in nuda carne diſpoſita, ſine cortice, ad praecedentes accedit.*

991.

991. MVCOR. *Linn.*

Eſt maſſa mucilaginoſa, putrefactis corporibus vegetabilium et animalium adhaerens, in qua ſemina filamentis cohaerentia conſpiciuntur.

MVCILAGO. *Mich. cortex exterior exareſcens, furfuraceus, ſemina in medio contenta.*

MVCOR. *Mich. planta ſphaerica, pedunculo donata vel carens, inordinate diſrupta, ſemina minutisſima fundit.*

MVCOR. *Hall. Mucilaginis ſpecies capitatas ſimul complectitur.*

992. LYCOGALA. *Mich.*

Planta variae figurae, ad rotundam accedens, intus reticulata, liquore, in quo ſemina nidulantur, repleta.

993. PVCCINIA. *Mich.*

Planta filamentoſa, ſimplex vel ramoſa, ſeminibus forte inter filamenta poſitis.

F. SVBMARINAE.

Plantas ſubmarinas illas appello, quae potiſſimum e fundo maris eruuntur, interim variae ſimul recenſendae erunt, quae aquis quoque dulcibus tectae creſcunt. Harum inſignis copia eſt, a nullo hactenus Botanico in ordinem redacta. Varia, quae Imperatus et alii habent, cum meis obſeruatis contuli et ita digeſſi, vt plantae mollioris, corneae et lapideae ſubſtantiae exhibeantur, in primis cum pauca fructificationis veſtigia detecta ſint.

994. ALGA. *Tourn.*

Planta ad littora maris, in ipſis tamen aquis, creſcens, radix arundinacea, comoſa, folia graminea

minea vel arundinacea, extra aquas prominentia.

Fibrae ex radice comoſa decerptae et vndis marinis ad littora agitatae, in pilas marinas conuolvuntur.

995. CONFERVA. *Hall.*

Planta ſub aquis nata, vel filamentoſa, vel membranacea, latior taeniae in modum expanſa; veſtigia ſeminum nonnunquam in ſuperficie poſita.

CONFERVA. *Dill.* BYSSVS. *Mich. filamentoſas, vel lineares, vel criſpas,*

VLVA. *Dill. membranoſas complectitur.*

BYSSVS. *Hall. loco natali tantum, cum planta terreſtris ſit, a Conferua differt.*

996. FVCVS. *Tourn.*

Planta radice plana fulta, ſubſtantia tenax, coriacea; folia ramoſa, diuerſae figurae.

997. GONGOLARIA. *Imp.*

Planta radice plana fulta, tenax, coriacea, ramoſa, veſicis in tractu caulium et ramorum tumentibus.

FVCVS. *Linn. huc pertinet, qui tubercula punctata in veſiculis, tanquam flores ſtamineos, et veſiculas glabras, filis intertextas, tanquam veſtigia floris piſtillati ex Reaumurio aſſumit.*

998. ACETABVLVM. *Tourn.*

Planta coriacea, tenui pedunculo, folia caua, peluiformia, inſtar pilei Fungorum ſuſtinens.

999. AVRICVLA. *Imp.*

Planta coriacéa, fungoſa, aceruatim creſcens, ex baſi craſſiore in membranam ſemicircularem ſe dilatans.

1000.

1000. SERTVLARIA. *Imp.*

OPVNTIOIDES. *Boerh.*

Planta coriacea, ex baſi craſſa ramoſa, rami vero ex foliis ſubrotundis per filamentum, in medio continuatum, inuicem annexis, componuntur.

1001. ALCYONIVM. *Tourn.*

Planta variae figurae, vel globoſa, vel ramoſa; ſubſtantia interna ex fibris denſius contextis coagmentata, cruſta vel coriacea, vel interdum calcaria obducta.

AVRANTIVM MARINVM. *Marſ. planta ſphaerica, coriacea, ab vna parte leuiter ſaxis adhaerens, intus tomento fibrarum et aqua repleta, forte huc referri poſſet.*

1002. SPONGIA. *Tourn.*

Planta diuerſae figurae, globoſa, irregularis, ramoſa, baſi adhaerens; ſubſtantia vel magis fibroſa, quaſi ex crinibus complicata, vel lamellata, quodammodo cellularis, plus minus flexilis, vel fragilis, vndique poroſa, cellularis.

BADIAGA. *Buxb. eſt Spongia magis fragilis aquarum dulcium, cui minutiſſima ſemina in variis partibus ſuperficiei adhaerent.*

1003. KERATOPHYTVM. *Boerh.*

LITHOPHYTON. *Tourn.* LITHOXYLON. *Linn.*

Planta ramoſa, flexilis; ſubſtantia cornu ſimilis, ſi vel raditur, vel comburitur; ſuperficies materia calcarea incruſtata, vel non incruſtata, cruſta in variis varie tuberculata.

TITA-

TITANOKERATOPHYTON. *Boerh. incruſtatas potiſſimum ſpecies complectitur.*

SAVALLIA. *Imp. eſt Keratophytum non incruſtatum, nigrum, vulgo Corallium nigrum appellatum.*

CORALLINA. *Tourn. plantas paruulas huc pertinentes, vel incruſtatas, vel non incruſtatas ſiſtit, inprimis vero ſpecies officinalis cruſtam articulatam obtinet.*

1004. CORALLVM. *Tourn.* CORALLIA. *Rai.* ISIS. *Linn.*

Planta ramoſa; ſubſtantia ſolida, dura, cortice tecta; cortex ſub aquis lentus, poſtmodum aridus, friabilis.

Florem, in cortice, hexapetalo ſimilem, detexit Marſilius.

1005. MADREPORA. *Tourn.*

Planta ramoſa; ſubſtantia dura, nullo cortice obducta, cauernulae radiatae, ex media ſubſtantia in ramos et ramulos extenſae, in variis ſpeciebus variae.

1006. LITHOFVNGVS. FVNGVS LAPIDEVS. *Rai.*

Planta Fungo ſimilis, pileolo vario, quoad figuram et ſuperficiem; ſubſtantia ſolida, dura.

1007. TVBIPORA.

Planta ex cylindris non ramoſis compoſita, cauernulis radiatis in cylindris exſculptis.

TVBIPORA. *Linn.* TVBVLARIA. *Tourn. planta ex cylindris parallelis, ex ſtratis ſibi inuicem ſuperimpoſitis, conflata.*

1008.

1008. RETEPORA. ESCHARA. *Tourn.* MILLEPORA. *Linn.*

Planta dura, quaſi foliacea, inſtar laminarum, ſimplicibus poris pertuſarum, diſpoſita, non incruſtata.

CELLEPORA. *Linn. planta dura, cauernulis oblongis, reptatricibus, excauata, forte huc referri poſſet.*

* * * * * * * * * * * * * * * * *

Addenda.

Ad monop. regul. dianth. monoſtyl. poſt Phillyream.

1009. CHIONANTHVS. *Linn.*

Calix monophyllus, paruus, quinquedentatus; corolla tubo breuiſſimo, laciniis anguſtiſſimis praedita; ſtamina parua; ſtigma trifidum; bacca vnilocularis, oſſiculum ſtriatum continens.

Ad monop. regul. tetranth. monoſtyl. poſt Ixoram.

1010. CATESBAEA. *Linn.*

Calix monophyllus, minimus, quadridentatus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubo longiſſimo, limbo quadrifido; ouarium ſubrotundum, calice coronatum, fit bacca vnilocularis, ſeminibus anguloſis foeta.

Ad monop. regul. tetranth. monoſtyl. poſt Rubiam.

1011. SIPHONANTHVS. *Linn.* SIPHONANTHEMVM. *Amm.*

Calix monophyllus, profunde quinquifidus, perſiſtens; corolla infundibuliformis, tubo tenui, longiſ-

longiſſimo, limbo quinquifido; antherae triangulares; fructus ſiſtit quatuor baccas, calici inſiſtentes, quae ſemina ſubrotunda continent.

Ad monop. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Plumbaginem.

1012. CORYMBIVM. *Linn.*

Calix tetraphyllus, foliolis binis maioribus, anguloſis, aliis binis minimis; corolla tubo breviſſimo, limbo quadrifido inſtructa; filamenta quinque, antheris in cylindrum coalitis; ouulum corolla coronatum, calice comprehenſum, ſemen oblongum, vnicum, lanatum ſiſtit.

Ad monop. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Lyſimachiam.

1013. BELLONIA. *Plum.*

Calix monophyllus, ouarium arcte complectens, ſegmentis acutis; corolla rotata, laciniis ſubrotundis, magnis; fructus fit capſula oblonga, vnilocularis, ſeminibus plurimis, exiguis foeta.

Ad monop. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Rondeletiam.

1014. CINCHONA. *Linn.*

QVINQVINA. *Off.*

Calix monophyllus, ouarium arcte cingens, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, laciniis acutis; ſtigma tripartitum; fructus fit capſula bifariam dehiſcens, bilocularis; ſemina oblonga, compreſſa, placentae imbricatim adnata, marginata.

Ad monop. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Polemonium.

1015. DIAPENSIA. *Linn.*

Calix pentaphyllus, acceſſoriis quibusdam ſquamulis ad baſin veſtitus; corolla hypocrateriformis, tubus amplior, limbus quinquifidus, laciniis obtuſis; ſtamina in interſtitiis laciniarum: ſtigma obtuſum; fructus eſt capſula trilocularis, triualuis; ſemina ſubrotunda, plura.

Ad Androſacen retulit Tournefortius.

Ad monop. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Abouai.

1016. MATTHIOLA. *Plum.*

Calix cylindraceus, breuis, perſiſtens, ouario inſiſtens; corolla infundibuliformis, e tubo anguſto ſenſim ampliato in limbum crenatum; fructus eſt bacca mollis, nuce globoſa foeta.

1017. MORINDA. *Vaill.* ROIOC. *Plum.*

Calix vix conſpicuus; corolla infundibuliformis, ouario inſidens, tubo ſenſim ampliato, limbo ſexfido, ſegmentis acutis; fructus fit bacca anguloſa, minor, vnico ſemine foeta, quae cum aliis ſimilibus in capitulum oblongum diſponitur.

PHILLYREASTRVM. *Vaill. quod Linnaeus huc refert, niſi tetrapetalo flore gaudet, quaternario partium numero ad minimum inſtructa eſt.*

Ad monop. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Nerium.

1018.

1018. CEROPEGIA. *Linn.*

Calix minimus, quinquedentatus, perſiſtens; corolla baſi globoſa in tubum protenſa, limbo quinquifido, laciniis acutis, apice conniuentibus; ſtylus vix vllus, ſtigmata bina; fructus ſiſtit ſiliquas binas, ſemina imbricata, papposa continentes.

1019. TABERNAEMONTANA. *Plum.*

Calix monophyllus, campanulatus, minimus, quinquedentatus; corolla infundibuliformis, limbo quinquifido, laciniis obliquis; fructus ſiſtit capſulas binas, vniloculares, vniualues, horizontaliter flexas; ſemina oblonga, imbricata, pulpa inuoluta.

Ad monop. regul. hexanth. monoſtyl. poſt Aſphodelum.

1020. CRINVM. *Linn.*

Radix ex capite craſſo fibroſa; folia longa, acuminata, integerrima; inuolucrum vniuerſale diphyllum, plures flores ſuſcipiens; corolla tuboſo-ventricoſa, limbo ſexpartito, laciniis anguſtis, carinatis, reflexis; ſtigma trifidum; capſula trilocularis.

Ad monop. regul. decanth. monoſtyl. poſt Arbutum.

1021. ANACARDIVM. *Linn.*

ACAIOV. *Tourn.*

Calix monophyllus, quinquifidus, deciduus; corolla infundibuliformis, quinquifida, tubus

breuis, laciniae longae, anguſtae, reflexae; ſtigma acutum; fructus pyriformis, mollis, cuius apici innaſcitur nux reniformis, ſemen ſimile continens.

Ad monop. irregul. dianth. monoſtyl. poſt Lentibulariam.

1022. PINGVICVLA. *Tourn.*

Calix quinquifidus, bilabiatus, labio ſuperiori trifido, inferiori bifido; corolla tubuloſo-ventricoſa, calcare donata, bilabiata, orificio tubi piloſo, labio ſuperiori bifido, inferiori trifido; filamenta duo diuiſa, bina antheras perfectas, bina alia imperfectas antheras ferunt; ſtigma infundibuliforme, plicatum; capſula vnilocularis, ſemina minima continet.

1023. PAEDEROTA. *Linn.*

BONAROTA. *Mich.*

Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis anguſtis; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, vel leuiter emarginato, inferiori trifido; ſtigma truncatum; capſula bilocularis, quadriualuis; ſemina plurima.

Ad monop. irregul. dianth. monoſtyl. poſt Adhatodam.

1024. GMELINA. *Linn.*

MICHELIA. *Amm.*

Calix monophyllus, minimus, dentatus; corolla ex tubo anguſto ampliata, quaſi bilabiata, vtrinque patens, quadrifida, lacinia ſuperiori maxima, fornicata, inferiori et binis lateralibus minoribus, omnibus acutis; fructus eſt bacca oblonga, nucem bilocularem continens.

Ad

Ad monop. irregul. tetranth. monoſtyl. poſt Digitalem.

1025. BIGNONIA. *Tourn.* PSEVDO-GELSEMINVM. *Riv.*

Calix monophyllus, breuis, quinquifidus; corolla tubuloſa, vtrinque patens, limbo inaequaliter quinquifido; ſtigma capitatum; fructus eſt ſiliqua bilocularis, biualuis; ſemina longa, compreſſa, alata.

Ad monop. irregul. tetranth. monoſtyl. poſt Clerodendrum.

1026. BONTIA. *Plum.*

Calix monophyllus, quinquifidus, perſiſtens; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori emarginato, inferiori reuoluto, ſemi-trifido, villoſo; ſtigma bifidum; fructus coriaceus, oblongus, continens nucem vnilocularem.

Ad monop. comp. mixt. poſt Tagetes.

1027. MILLERIA. *Linn.*

Calix triphyllus, foliolis binis minoribus, tertio maiore, in quo, tanquam thalamo, haerent floſculi bini, perfecti, tubuloſi, quinquifidi, tertius vero piſtillatus, ſingulatus eſt, quem ſequitur ſemen ſolitarium, oblongum, triquetrum.

Ad monop. comp. mixt. poſt Gerberam.

1028. TRIDAX. *Linn.*

Calix cylindraceus, imbricatus, ſquamis oblongis, erectis; thalamus paleaceus; ouula diſci floſculos tubuloſos, perfectos, quinquifidos, ouula radii floſculos tubuloſos, piſtillatos, trifi

dos ſuſtinent; ſemina oblonga, pappo ſimplici coronata.

1029. TETRAGONOTHECA. *Dill.*

Folia coniugata; calix monophyllus, quadripartitus; thalamus paleaceus; ouula diſci ſuſtinent floſculos tubuloſos, perfectos, quinquifidos, ouula radii floſculos lingulatos, trifidos; ſemina nuda.

Ad monop. comp. mixt. poſt Chryſogonum.

1030. SPHAERANTHVS. *Vaill.*

Thalamus globoſus ſuſcipit collectiones floſculorum, calice proprio contentas, easque ſquamis thalamo affixis diſtinguit; calix partialis pentaphyllus ouula comprehendit, quae floſculos in medio tubuloſos, quinquifidos, ſtamineos, *an perfectos?* in ambitu piſtillatos ſuſtinent; ouula in medio abortiunt, ouula in ambitu ſemina oblonga, nuda ſiſtunt.

Ad tetrap. regul. tetranth. monoſtyl. ante Epimedium.

1031. PTELEA. *Linn.*

Planta fruticoſa; folia ternata; flores ex alis foliorum copioſi; calix monophyllus, quadridentatus, exiguus; petala oblonga, plana, patentia; ſtigmata bina; fructus eſt membrana ſubrotunda, in medio ſemen vnicum, teretiuſculum ſuſcipiens.

Ad tetrap. regul. tetranth. monoſtyl. poſt Brabeium.

1032. OLDENLANDIA. *Plum.*

Calix quadrifidus, ouario inſidens, ſegmentis acutis,

acutis, anguſtis; petala quatuor, oblongo-cuſpidata, vnguibus latis calici inſerta; fructus fit capſula globoſa, bilocularis; ſemina minima.

Ad pentap. regul. pentanth. monoſtyl. poſt Claytoniam.

1033. CVPANIA. *Plum.*

Calix triphyllus, perſiſtens, foliolis ouato-acutis; corolla roſacea, petalis ſubrotundis, calice minoribus; fructus fit capſula turbinata, trilocularis, in quolibet loculo ſemina bina, ſubrotunda, quaſi calice dentato comprehenſa.

Ad pentap. vmbellatas poſt Sium.

1034. SISON. *Linn.*

Vmbella vniuerſalis et partialis rara; inuolucrum vniuerſale et partiale tetraphyllum, inaequale; corolla regularis; ſemina exigua, ſtriata.

* *

Fragmenta varia.

1035. ANTHOSPERMVM. *Linn.* Folia anguſta, conferta; corolla in alis foliorum tubuloſa, ſemiquadrifida; ſtamina quatuor.

An planta flore piſtillato ex imperfecta deſcriptione TOVRNEFORTIAE *Pont. definiri poſſit, dubito.*

1036. AEGINETIA. *Linn.* Spatha vniualuis; corolla monopetala, baſi globoſa, tubo breui, limbo patulo, margine inaequali; ſtamina quatuor; ſtylus ſimplex, ſtigma ſubrotundum, nutans.

1037. ARGVSIA. *Amm.* Calix monophyllus, multifidus; corolla infundibuliformis; fructus coriaceus, in duas partes, oſſiculo foetas, dehiſcens, vmbilicatus.

1038. BARRERIA. *Linn.* Calix monophyllus,

perſiſtens, ſemiquinquifidus; petala quinque, ouata, vnguibus anguſtis; ſtamina quinque; ouarium quinquifidum, ſtyli quinque.

1039. DIANTHERA. *Linn.* Calix quinquifidus, perſiſtens, regularis; corolla tuboloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, inferiori tripartito; filamenta bina, antherae quatuor; ſtylus ſimplex, ſtigma bifidum.

1040. PETREA. *Linn.* Calix monophyllus, quinquepartitus, coloratus, perſiſtens; corolla monopetala, irregulariter quinquifida; ſtamina quatuor; ouarium oblongum, ſtylus ſimplex.

1041. MANGLES. *Plum.* RHIZOPHORA. *Linn.* Flores ſtaminei et piſtillati diſtincti in ſimplici planta.

Stamineus. Calix quadrifidus; corolla profunde quadrifida, laciniis anguſtis; ſtamina multa; loco piſtilli globulus minimus.

Piſtillatus. Calix quadrifidus; corolla quadrifida; piſtillum inferius craſſum, in ſtylum craſſum, longisſimum, carnoſum deſinit; ſemen in fructu vnicum.

1042. MOLLE. *Tourn.* SCHINVS. *Linn.* PIPERODENDRVM. *Heiſt.* Folia pinnata, extremo impari; calix minor, quinquifidus, ſegmentis rotundiuſculis; corolla roſacea, petala quatuor vel quinque; ſtamina octo vel decem, partim petalis, partim calici inſerta; glandulae nectariferae in orbem poſitae centrum occupant, in medio fouea.

Deſcriptio eſt plantae flore ſtamineo, alia flore piſtillato ſemen grani Piperis magnitudine exhibere dicitur.

1043. NEGVNDO. *Rai.* Ex gemma foliorum fila longa propendent, quorum extremo adhaeret calix tri- quadri vel quinquifidus, minimus; ſtamina quatuor ad ſex.

Flos piſtillatus incertus, in diſtincta planta collocatus videtur.

Inter Aceris ſpecies recenſet Boerhaavius, cum quo habitu quodammodo conuenit.

1044.

1044. BEGONIA. *Tourn.* Flos duplex in ſimplici planta;

Stamineus. Calix nullus; corolla tetrapetala, duobus petalis latioribus, duobus anguſtioribus; ſtamina multa.

Perfectus. Calix ouàrium cingens, tricuſpidatus; corolla roſacea: ſtamina multa; ſtyli tres, bifidi; capſula triangularis; ſemina exigua.

1045. HVRA. *Linn.* Calix monophyllus, truncatus, longitudinaliter canaliculatus, ouario inſidens; corolla tubuloſa, limbo reflexo, breui, duodecim crenis inſigni; fructus oblongus, in duodecim capſulas lunatas, vniloculares, monoſpermas diſſiliens.

1046. SAPOTA. *Plum.* ACHRAS. *Linn.* Calix pentaphyllus, perſiſtens, foliolis acutis; corolla roſacea, petalis obtuſis, emarginatis; ſtamina plura; ſtylus ſimplex; fructus eſt bacca ouata, quinquelocularis, in ſingulo loculo ſemen vnicum, nitidum.

1047. BROSSAEA. *Plum.* Calix monophyllus, quinquifidus, ſegmentis acutis; corolla conica, truncata; ſtylus ſimplex; fructus calice carnoſo, conniuente tectus, quinquelocularis.

1048. BVCEPHALON. *Plum.* Ouarium calice et corolla deſtitutum, cui bina ſtamina, inſtar cornuum vtrinque extenſa, adhaerent; fructus ſit bacca oblonga, ſtriata, nucleum oblongum continens.

1049. CAESALPINA. *Plum.* Calix vix conſpicuus; corolla monopetala, irregularis, quadrifida, lacinia anteriori concaua, oblonga, reliquis ſubrotundis; ſtamina quinque; ſtylus ſimplex; fructus eſt legumen, ſeminibus oblongis foetum.

1050. CASTOREA. *Plum.* DVRANTA. *Linn.* Calix ouarium arcte cingens, quinquifidus; corolla tubuloſa, bilabiata, labio ſuperiori integro, concauo, inferiori quadripartito, lateralibus et binis inferioribus aequalibus, ſubrotundis; an ſtamina quinque? ſtylus

 ſimplex

ſimplex, ſtigma globoſum; fructus eſt bacca, quatuor ſeminibus anguloſis foeta.

1051. ECHINOPHORA. *Tourn.* Inuolucrum vniuerſale monophyllum, multifidum; corolla vmbelliferis ſimilis, irregularis; fructus vnicapſularis, echinatus, ſemen vnicum, oblongum includens.

1052. FVCHSIA. *Plum.* Calix ouarium arcte cingens, margine integro; corolla tubuloſa, ex anguſto ampliata, limbo octofido, laciniis alternis interioribus, omnibus acutis; ſtamina quatuor vel plura; ſtylus ſimplex; fructus eſt bacca quadrilocularis, in quolibet loculo ſemina oblonga, duplici ſerie poſita.

1053. HERNANDIA. *Plum.* Planta relatiua, an monophyta? an diphyta?

Stamineus. Calix triphyllus; petala tria; ſtamina tria.

Piſtillatus. Calix monophyllus, ouarium cingens, trifidus, calix expanſus veſicam ſiſtit, in qua continetur nux ſtriata.

1054. COA. *Plum.* HIPPOCRATEA. *Linn.* Calix monophyllus, ſemiquinquifidus; corolla monopetala, vrceolaris; fructus ſiſtit tres capſulas biualues, ſeminibus alatis foetas.

1055. MANCANILLA. *Plum.* HIPPOMANE. *Linn.* Planta arborea; flores ſtaminei et piſtillati in ſimplici planta.

Stamineus. Axi longae adhaerent plures glomeruli ſtaminum ſine calice euidenti.

Piſtillatus. Ouarium oblongum, ſtigma trifidum; fructus eſt bacca oblonga, nuce ſtriata ſimili foeta.

1056. COVRBARIL. *Plum.* HYMENAEA. *Linn.* Calix monophyllus, irregulariter quinquifidus; corolla papilionacea, vexillum amplum, alae paruae, carina anguſta, falcata; fructus eſt legumen maximum, vniloculare; ſemina oblonga, fibris et polline obuoluta.

1057. LEONTOPETALOIDES. *Amm.* Radix tuberoſa; petioli et pedunculi ex radice oriundi; folia laciniata; flores in vmbella; calix monophyllus, paruus, in aliquot ſegmenta diuiſus; corolla infundibuliformis, tubo tenui, ſenſim non nihil ampliato, limbo amplo, profunde ſexfido; ſtamina forte ſex; ſtylus ſimplex, ſtigma ſubrotundum; fructus eſt veſica anguloſa, plurimis ſeminibus oblongis foeta.

1058. RICINOCARPODENDRON. *Amm.* Planta arborea; folia pinnata; calix vix vllus; petala tria, tubo vrceolato, in medio conſtituto; fructus eſt bacca trilocularis, triſulcata, in ſingulo loculo nux coriacea nucleum bilobum continet.

1059. PTEROSPERMADENDRON. *Amm.* Planta arborea; calix monophyllus, quinquiſidus; corolla roſacea; petala quinque, oblonga; ſtamina quinque; ſtylus ſimplex; fructus eſt capſula lignoſa, quinquelocularis, apice dehiſcens, ſeminibus alatis foeta.

1060. SCHOENANTHVS. *Scheuchz.* ISCHAEMVM. *Linn.* Planta graminea; calix communis vniglumis, continens locuſtam tripartitam; in ſuprema parte calix biglumis, folliculum biualuem, et vel tria ſtamina, vel ouulum continet, in inferiori, calix proprius vniglumis, ex ſinu ariſtam emittit, et folliculum biualuem continet, in cuius ſinu ſtamina haerent.

1061. MELANTHIVM. *Linn.* Calix nullus; petala quinque, macula cordata ad baſin petali; ſtyli tres; capſula ouata, trilocularis, ſemina compreſſa continens.

1062. MYRISTICA. *Linn.* NVX MOSCHATA. *Off.* Calix monophyllus, campanulatus, quadridentatus; fructus coriaceus; ſemen oblongum, rete cinctum.

1063. IABOTAPITA. *Plum.* OCHNA. *Linn.* Calix monophyllus, profunde quinquifidus; corolla roſacea, petala quinque, obtuſa, vnguibus anguſtis; ſtamina

mina nonnulla, parua; ſtylus ſimplex; fructus eſt bacca duplex, thalamo carnoſo ſuſcepta, vnico ſemine foeta.

1064. PLVKNETIA. *Linn.* Flores ſtaminei et piſtillati in ſimplici planta.

Stamineus. Petala quatuor, ſtamina incerta.

Piſtillatus. Petala quatuor; ouarium tetragonum, ſtylus ſimplex, ſtigma peltatum, quatuor punctis notatum; fructus eſt capſula quadrilocularis, ſemina ſolitaria, ſubrotunda continens.

1065. RANDIA. *Linn.* Corolla monopetala, limbo quinquifido; ſtamina incerta; ſtylus ſimplex; fructus eſt capſula vnilocularis, ſemina plurima, cartilaginea, pulpa inuoluta, continens.

1066. THALIA. *Linn.* CORTVSA. *Plum.* Spatha oblongo-acuminata, aurita; petala quinque, vndulata, concaua, irregularia; ſtamina incerta; ſtylus ſimplex; fructus eſt bacca, osſiculum biloculare continens.

